

XLVII 9

COMMENTARIII<sup>0073</sup>  
HISTORICI

DE

BOSNIAE, SERVIAE AC BULGARIAE, TUM VALACHIAE, MOL-  
DAVIAE AC BESSARABIAE, CUM REGNO HUNGARIAE  
NEXU

QUOS SCRIPSIT

GEORGIUS PRAY,

HISTORIOGRAPHUS REGNI,

EDIDIT DIPLOMATIBUS AUCTOS

GEORGIUS FEJÉR

BIBLIOTHECARIUS.

BIBL. COLL.  
COLOCENSIS S. I.

---

BUDA E,

TYPIS REGIAE SCIENT. VNIVERSITATIS VNGARICAE.

1837.

Ex munificentia  
Rmi D. Emerici Radnich  
E. C. Albaregalens.  
Canonici.

„Apud Historicos veteres reperi, vestrum regnum florentissimum quondam fuisse, et hominibus et opibus beatum. Cuius tanta latitudo, longitudoque fuit, ut a Constantinopoli marique Pontico vsque ad Austriam, et a Polonia vsque ad Sinum Adriaticum potenderetur. In cuius gremio septem amplissima regna clauderentur, quae a Corona Hungariae tanquam feuda dependebant, ut merito quod non tantum regem, sed Archiregem Hungariam habere dixerint. — Ast nunc quam lacerum sit vestrum regnum, ipsi scitis.“  
Aeneas Syl. alias Pius II. PP. ad Dionysium A. Eppum Strigon. epist. 78.



# SPECTABILI DOMINO

NICOLAO JANKOVICS DE VADAS etc.

VIRO CLARISSIMO

S. P.

*Magnificis Te parentibus satum hilari Musae suscepere nutu, honestis imbuere Literis, adultumque „Reipublicae utrique prosis“ iussere. Consilii plenus non Tu operam Patriae denegas segnis, non ornamenta alterius contexta manu detrahis invidus; odisti profanum; labore mercenario bonum eius maius sectari, dedignaris.*

*A manuscriptorum, artefactorum, antiquitatis omnigenae, ac suppellectilis litterariae thesauro, quem indefessis studiis curisve, gravi item aëre comparatum rebus Patriae illustrandis destinasti, ac dicasti, perenne nomen laudemque apud seram evicisti posteritatem. Quod eidem debebas, ad assem eluisti.*

*Suppetiis, quibus codicem Hungariae Diplomaticum monumentis originalibus, paribusque fide dignis, locupletare, ac fovere liberaliter non desinis, excelsius nihil: nec enim hoc in merito seu lucro sive praemio expectandis locus ullus, nullum ambitionis momentum: — cum arctis tabulariorum claustris atque Collectorum invidia, conflictandum.*

*Genius sacer, qui Te super vulgum humi repetentem extulit, illustriorave agitare magno animo docuit; ad virtutis ardua iugi contentione nitentem, sparsis confoveat floribus, vitamque transire faciat cum gloria insigniter meritorum*

*Tui Vir bono Patriae nate*

Gratus cultor

Auctor.

## A d L e c t o r e m.

**D**almatiae, Galliciae ac Lodomeriae cum Regno Hungariae nexu Codicis Diplomatici Tomo IX. voluminibus III. et IV. in praefatione ubertim explicito, ut in supplementum illius, Bosniae, Serviae, Bulgariae, tum Valachiae, Moldaviae, Bessarabiae — veteris Cumaniae — quoque nexum exhibeam, est necesse.

Hoc in merito RR. Georgius Pray, Historiographus Regni, opera insigni praevit Commentariis duobus annis 1787 et 1788. concinnatis; ast hi in archivo Bibliothecae Universitatis regiae Pestanae, cum aliis ipsius Manuscriptis, quorum numerus ultra quinquaginta, conditi in lucem emergere neutiquam poterant, meque, sua gravitate, ut usus publici fierent, compulerant.

Magistri, praedecessorisque mei clarissimi opus libratum seu glossis locupletare, seu succissionibus truncare, vanitate, a qua alienus sum, haud vacasset; sed et ipsa compendii, quod sector, ratio, atque nexus provinciarum laudatarum aperte ac solide dilucidatus, vehementer prohibebant.

Diplomata, quae commentarii Prayani fulciuntur, in Codice nostro Diplomatico, editis item de Dalmatia, Gallicia ac Lodomeria Dissertationibus, expressa parte maxima sunt; quae veritatis Historicae Studiosi commode, nec sine lucro, sunt consulturi. Quae addidi, ut plurimum incomperta Scriptori, attentionem merebuntur.

Pestini 1-a Aprilis 1837.

Auctor.

Commentatio historica de Jure Regum  
Hungariae in Bosniam, Serviam et Bul-  
gariam conscripta a G. P. Anno  
MDCCLXXXVI.

**S**ervii, gens Slavica, tempore Heraclii Imp. provin-  
ciam Thessalonicae anno 610. ad inhabitandum  
obtinerunt, a) quae ab eo tempore Servia di-  
cta est; auctiores deinde redditi vastatas ab Ava-  
ribus, et desertas terras, bona ejusdem Heraclii  
venia, occupant, b) Principibus ex sua gente con-  
stitutis, qui tamen jure clientelari Imperatoribus  
orientis obnoxii essent.

a) Const. Porphyrog. de adm. Imp. c. 32. „Principatu  
autem Serviae a patre ad duos fratres devoluto, al-  
ter sumpta populi parte dimidia ad Rom. Imp. Hera-  
clium confugit, qui eo excepto locum ad inhabitan-  
dum dedit in Thessalonicae themate, quod ex eo tem-  
pore Servia nuncupatur.“ b) Idem ibid. „Cumque ea,  
quae nunc Servia dicitur, et Pagania, quaeque Za-  
chlumorum terra vocatur, item Terbunia, et Carali-  
tarum regio, quae Imp. Romanorum ditionis erant,  
propter Abarum excursiones desertae essent, — —  
— regiones illas Servii habitandas Imperator dedit,  
cui etiam subiecti erant.“

§. 2.

Ab Heraclii obitu cum Imperatores rem pu-  
blicam negligenter curarent, Servii exempla aliorum  
Slavorum secuti, excusso jugo Romanorum in li-  
bertatem se vindicarunt, suisque legibus regeban-

tur usque ad an. 867. quo Basilius Macedo Imperium adiit; sub quo non solum potestati eius se subiecerant, sed sacris etiam Christianis initiati sunt. a).

- a) Idem cap. 29. „Qui post Heraclium imperium tenuerunt Principes, cum pessime rem publicam administrarent, Sèrvii cum reliquis Slavis jugo Romanorum excusso, se in libertatem vindicarunt. — Basilius Macedonis temporibus Slavi sponte sub Romanorum redire imperium, et simul, ut, qui ex ipsis baptizati nondum erant, baptizentur, rogarunt. Quorum lubentissime concedens precibus Basilius, sacerdotes misit, et principes eis designavit e stirpe, quam maxime diligenter, et amarent.“

### §. 3.

Abhinc frequentia cum Bulgaris bella, vario Marte, gerebant, resque suas communi consilio, et viribus tuebantur; postea autem circa an. 949. bifariam divisi, pars nomen Serviorum retinuit, pars vero nomen Bosoniensium, seu Bosnensium assumpsit, et ut nominibus discrepabant, ita etiam distinctas ditiones tenuere. a) Itaque ad rerum consequentium intelligentiam necesse est utriusque regni limites paucis designare; ac primum quidem de Bosnia dicendum, postea de Servia; et quoniam huic Bulgaria finitima est, eodemque jure, quo Servia, regibus Hung. obnoxia, b) de hac quoque agendum erit.

- a) Idem Ibid. „Sunt in baptizata Serblia oppida, quae habitantur, Dostinicum etc. in agro vero Bosonae Caetera, et Desnec — — Bossena autem haud subest archizupani (Serviae) imperio; sed gens est, quae et suos mores, et suum agnoscit Principem.“

- b) Vid. Leunclavius in Pandectis Turciae. cap. 174. et in Thurocz. Chron. P. IV. C. 65.

## P a r s I.

## §. 4.

Bosnia, quae et Ramae nomen a Rama fl. obtinuit, secernitur ad septemtrionem Savo a Sclavonia; ad ortum Dryno amne a Servia; a) a meridie suis montibus contingit Dalmatiam; ad occasum denique Verbasio flumine a Croatia separatur. His limitibus circumscripta regio dividebatur bifariam; in Bosniam superiorem et inferiorem. Illa apud scriptores variis nominibus indicatur. Constantio Porphyrogenetae, b) *Zachlunia* dicitur, aliis *Behlunia* c) et *Chulmia*, denique *Chelmensis* provincia. Haec generatim nomen *Ducalis Bosniae* obtinuit. Inferior autem Bosnia Regni dignitatem consecuta, in decem minores provincias distributa fuit, inter quos *Usora* et *Salensis* crebro in diplomatibus occurrunt. Celebriores urbes et arces fuere: *Jaycza*, *Banyaluca*, *Seralium*, *Scabernicum*, *Svornicum*, *Verbasava*, *Orbaczum*, *Dubitza*, et *Dobor*, *Sigismundi* regis tempore in literis publicis crebro memoratum.

- a) Cinnamus Lib. 3. Hist. Byz. T. XI. p. 46. IV. VII. refert, *Drynum* in *Savum* effundi, et *Bosniam* a reliqua *Servia* discernere. b) De adm. Imp. c. 33. c) In epist. Honorii III. Pontif. apud Raynaldum Annal. eccl. ad an. 1220. num. 37.

## §. 5.

Regiminis formam Bosnenses non semper eandem habuere. In principio *Zupani* rem publicam communi consilio gubernabant; a) qui et Ju-

pani dicti sunt; mox splendidioribus titulis cum potestate sumptis, Archizupani, et Megajupani dignitas invaluit. h) Dein Bani, et Vajvodae exorti sunt; serius postea Ducis etiam titulus obtinuisse legitur; quia occurrit etiam quidam Theodorus, qui axioma Archiducis Bosnensis gesserat. Seculo denique XIV. sub Ludovico rege Hungariae, postquam Stephanus eius socer, Bosniae Princeps, defunctus esset, et eius successor Twardkus Bosniam utramque junxisset, bona Ludovici venia anno 1376. corona incinctus, Regis Bosniae titulum sumpsit, c) et Stephanus Myrces appellari voluit. Abhinc regia dignitas in Bosnia obtinuit. Longum esset, et a proposito argumento alienum, omnes, qui Zupanorum, Banorum, Vayvodarum, Ducum et Regum nominibus Bosniae praeerant, recensere; illud praeprimis videndum, quando, et quo titulo reges Hungariae jus in Bosniam adepti fuerint.

- a) Const. Porphy. de adm. Imp. c. 29. „Principem, ait, hae gentes non habent, tantum Zupanos senes, quomodo etiam reliqui Slavorum populi.“ b) Ita Neemanus anno 1167. Magni Jupani titulum usurpavit, ut ex inscriptione sigilli apud Lucium de regno Dalmatiae lib. V. cap. 3. liquet. c) Vid. Petrus Lucari Annali di Ragusa L. II. p. 62. et Orbinus regno degli servi, p. 358.

### §. 6.

Primus omnium Hungariae regum titulo regis Ramae seu Bosniae (§. 4.) usus est Colomannus, cum in diplomate anni 1103. Spalatensi ecclesiae concessio, se praeter Dalmatiae et Croatiae, regem quoque Ramae nuncupavit. d) Dubium non est, quin Colomannus post occupatam Croatiam et Dalmatiam, cum isthic fere biennio in ordinanda re



publica ageret, limites ditionis recens obtentae ultra Naronem, in quem Rama fluvius se exonerat, seu intentato armorum metu, seu conciliato populi favore, ut regionis Dalmatis vicinae situs svadet, protulerit. Nec etiam credibile est, regem, austeri ceteroquin ingenii, eo ambitionis pervenisse, ut titulo regni, quod nondum subegerat, uteretur; aut, quae tandem idonea ratio reperiri potest, cur anno superiore, hoc est, 1102. in privilegio, quod Jadrensi monasterio largitus est, Ramae titulum omiserit, usurpaverit autem 1103. nisi Bosniam hoc primum anno suam fecisset? Scio esse aliquos, qui Diploma an. 1103. sublestae fidei arguant. Horum est antesignanus Lucius, e) qui Ramae titulum in diploma Colomanni errore scribentis irrepsisse existimat, tum quod Colomannus eo nec ante annum 1103., nec postea, quemadmodum nec eius filius Stephanus, usi fuerint, primoque occurrat ad an. 1138. in privilegio, quod Bela II. Stephani successor, Spalatinae ecclesiae concessit. Verum haec Lucii conjectura prorsus inanis est: Ex eo enim quod anteriora Colomanni diplomata Ramae non meminerint, id solum recte efficitur, eum ante ann. 1103. Ramam nondum occupasse. Nec, si postea Colomannus, seu eius filius Stephanus eo titulo usi non sint, propterea consequitur, Ramam errore scribarum in diploma anni 1103. irrepsisse. Nihil enim insolitum fuit regibus Hung. in recensione titulorum jam aliquem omitti, jam rursus inseri. Certe, ut exemplo, quod huic loco proprium est, illustrem, Bela II. anno 1135. in diplomate Praepositurae Bozokiensi concesso diserte titulum Ramae adhibuit, quem tamen anno 1137. in confirmatione privilegiorum Abbatiae S. Martini montis

Pannoniae omisit, et anno sequente in privilegio ecclesiae Spalatensis iterum usurpavit. Ita Ludovicus I. post obtentam ex pactis Poloniam, non semper antiquis titulis regiis Poloniae, nec Mathias Corvinus, occupata Austria constanter ducis Austriae axioma publicis litteris inseruit. Nec tamen isthinc Lucius, ut opinor, arguet, Belam II. anno 1137. Ramam, aut Ludovicum, et Mathiam, quoties Poloniae et Austriae titulo non utebantur, Poloniam et Austriam amisisse. Si quae igitur causa ad verum proxime accedens esse potest, cur Colomannus post annum 1103. titulo Ramae abstinuerit, nec eius filius Stephanus adhibuerit illum, non alia, si rerum gestarum adjuncta spectemus, profecto fuit, quam quod Colomannus occupata Dalmatia, ut ejus possessionem sibi magis firmaret, Croatiam illi vicinam, cui Ladislaus Almus Ducem anno 1091. praefecerat, per se regendam sumpserit, Ramamque Almo gubernandam tradiderit. f) Hac enim ratione factum, ut nec Colomannus post annum 1103. nec deinceps ejus filius Stephanus titulo Ramae uterentur, et Bela II. mortuo patre Almo rursus eo uti coeperit. Nec enim de hoc rege usquam legitur, eum arma in Bosniam intulisse, ut sibi illam, eiusque titulum vindicare potuisset.

- d) Exstat apud Lucium de Regno D. et C. Lib. Cap. 3. diploma ex Registro privilegiorum Ecclesiae Spalatensis, hoc cum titulo: In nomine Domini nostri Jesu Xti anno ab incarnatione ejus 1103, die 15. Junii Colomannus D. G. Hung. Dalm. Croatiae, Ramaeque rex. e) Lib. Cit. Cap. 8. f), Ibid. Lib. III. Cap. I. extat instrumentum anni 1091, in quo haec: Wladislaus, Pannoniorum rex, Croatiae invadens regnum, dominum Almus suum nepotem in illo statuit regem.“

## §. 7.

Hunc in modum Bosnia, in ditionem redacta, reges Hungariae morem regum Croatorum sequuti, eam Banis jure clientelari gubernandam commiserunt. Primi ex his memoriam scriptores graeci nobis conservarunt: Eratis Borichius, graecis Borizen, a) qui Geysae II. bellum contra Manuelm Comnenum Imp. gerenti tanquam vasallus cum copiis adfuit, cuius ope Alba Graeca, seu Belgradum, Graecis iterum ereptum, et Hungaris assertum fuit. Ab hoc publicis litterarum monumentis celebris erat, Culinus, qui cum provinciam alias cum laude administrasset, in fine Patarenorum haeresi infectus non modo ab Ecclesia catholica, sed simul a jurisdictione regis Hungariae secessionem tentare videbatur. Quam ob rem Innocentius III. Pontifex Emericum regem adhortatus est, auctoritate sua uteretur, et Culinum ad sanio rem mentem reflecteret. Rex morem Pontifici gerens, Banum Romam ire jussit, ut fidei suae rationem isthic redderet; quod cum is quidem, ut mandatum a rege erat, praestitit; sed cum ex urbe redux Patarenis favere pergeret, appareretque Culinum simulate omnia fecisse, rursus Pontifex regem per literas convenit, obtestatusque est, ut pro potestate sua Banum coërceret, b) alioquin futurum, ut excusso Ecclesiae jugo, sensim etiam potestati temporali se subducatur. Rex, communicatis cum Joanne de Caremaria legato apostolico consiliis, Bani filium, qui tunc in aula regia versabatur, in Bosniam abire jussit, ut patrem cum praecipuis optimatum, qui haeresis suspicione laborabant, ad se in Hungariam adduceret. Hic certa illis a Legato apostolico capita proposi-

ta sunt, c) quae ubi jurejurando se servaturos promississent, rex pontificem de eo successu per litteras edocuit, et Banum in dignitate confirmavit. d) Sed quod nondum satis illi fidendum esset, et commodum nuncii a Calojoanne Imp. ad regem venissent de unione cum Legato pontificio acturi, de instituendo etiam in Bosnia episcopatu latino cogitatum fuit, e) quod serius tamen postea perfectum est.

- a) Cinnamus in Manuele p. 52. „His cognitis Imp. acceptoque, Borizen Bossinae, regionis Dalmaticae, principem, qui auxilio venerat Hungariae regi, in suum redire principatum, fortissimos militum delectos, qui manus cum Borize consererent, dimisit. b) Id colligitur ex litteris Vulcii Diocliae regis ad Innocentium III. datis. „Demum, inquit, paternitatem vestram nolumus latere, quod haeresis non modica in terra regis Hungariae, videlicet Bossina, pullulare videatur, in tantum, quod — — ipse Baulinus (Banus Culinus) cum uxore sua, et cum sorore sua — — et cum pluribus consanguineis suis seductis, plus quam 10,000. Chistianorum in eandem haeresim introduxerit. Unde rex Hungariae exacerbatus illos ad vestram praesentiam compulit venire a vobis examinandos. Illi autem simulatis literis redierant dicentes, a vobis concessam sibi legem. Unde rogamus, ut regi Hungariae suggeratis, ut eos e regno suo evellat tanquam Zizania a tritico. c) Vid. Pray MS. Diplm. sacr. T. I. d) Refert Philippus ab Ochievis in Epitome vetustatum Bosnensium edit. Aneanitanae ann. 1776. p. 96. exstare hodie in Bosnia familiam Turcicam Bugorum, quae ab hoc Culino originem ducit sub nomine Kulienovich. e) Vid. litteras regis apud Farlatum Tom. IV. p. 46.

### §. 8.

Culino defuncto Andreas rex Bosnensibus praefecit Nicolaum, quem post ejuratos opera Colocensis Archiepiscopi errores, Honorius III. Pon-

tifex collaudatum, in specialem protectionem, salvo jure regis Hung. suscepit. a) Huic anno 1236. subrogatus est a Bela IV. Zibislavus, quem ob miram in fide constantiam rex favore prosequutus est, et Pontifex, sine praejudicio regis, in tutelam accepit. b) Sub his, quos memoravi, Banis Bosnia hactenus, si religionis controversias demas, pacate regibus Hungariae suberat; non perinde sub Ninoslavo, quem Bela Zibislavo successorem dederat. Is enim, cum lis inter Tragurienses, quibus rex favebat, et Spalatenses exorta esset, se istis rege clam adjunxit, quam ob causam eundem rex in pacificatione exclusum voluit, hostemque regni declaravit. c) Nec multo post hortatu Pontificis, quod non solum in fide nutaret, sed jurisdictioni regiae se etiam subducere vellet, collecto exercitu in illum movit, duceque Cotromanno, natione germano, profligatum dignitate spoliavit. Cotromanno in ejus locum suffecto, quem, ne is res novas moliretur, Colomanno fratri suo, quem ducem Bosniae creaverat, subesse jussit. Atque id deinceps fere in morem abiit, ut reges aliquem ex filiis, aut fratribus Bosniae gubernandae praeficerent, quamadmodum Bela IV. defuncto Colomanno, Belam filium natu minimum, Stephanus vero Ladislaum ducem Bosnensibus constituere. Quin constat etiam reginas ea dignitate ornatas fuisse. d) Ab his proximi dignitate erant Bani, quorum aliqui nomine regio toti Bosniae, alii contra diversis eius provinciis praeerant, cujusmodi in Ladislai Chuni diplomate ann. 1272. V-to nonas Decemb. occurrunt Henricus Banus de Usora, et Solum, Stephanus de Bosna, et Gregorius Banus de Kuczo. Quae res licet illo non parum conferret, ut popu-

lus ob personae dignitatem in metu contineretur, tamen quod duces plerumque a Bosnia abessent, caveri non potuit, quin per absentiam ducum vicarii eorum rem publicam pro libidine administrarent, et optimates ad excutiendum jugum aspirarent. Quo factum ut turbatis rebus Bosnensibus, Stephanus Dragulinus, Serviae Princeps, praecipuam Bosniae partem anno 1291. sibi vendicarit, quam tamen anno 1300. Paulus a Breberio rursus Hungariae assertam, a Carolo Roberto fiduciario jure regendam accepit; c) qui cum in reprimenda Patarenorum haeresi negligentior esset, Joannes XXII. Pont. regem gravissimis literis an. 1326. monuit, ut autoritate sua homines labe hac infectos coërceret. „Frequenter, inquit, filii carissime, fide digna relatio apostolicae sedis pulsavit auditum, quod — — magna haereticorum caterva, de multis et variis partibus congregata ad principatum Bosnensem, in confinio Dalmatiae constitutum — — — confluit. Cum igitur praedictum haereticum nefandae et eliminanda seductio in dicto Principatu — — infecerit, dictusque Principatus, tuae, sicut accepimus, sitiditioni subjectus — — serenitatem regiam rogamus — — — quatenus — — ad eliminandum et extirpandum dictos haereticos de Principatu praedicto, operam praepares et impendas congruentem.“ f) Quo satis, ut opinor, jura regum Hungariae, in Bosniam declarantur. Paulo Breberio vita functo, filius Mladinus cum consensu regis, quem pater adhuc vivens a se secundum Bosniae Banum declaraverat, g) successit; qui cum superbe, et avare populo imperaret, a Carolo Roberto in vincula conjectus, et catenis vinctus in Hungariam abductus est. Abhinc Stephanus cogno-

mento Linus Bosniae ducatum adiit; Princeps a constanti in regem fide et Pontificis observantia laudatus, paulo ante obitum filiam suam Elisabetham regi Ludovico nuptui locavit. h)

- a) Nicolai Bosnensis Principis mentionem facit Bzovius Annal. Eccl. ad an. 1233. h) Vid. T. I. MS. Pray. res sacras complectentem ad ann. 1225. c) Vid. Memor. Tragur. p. 54. d) Hujusmodi fuit Elisabetha, Ladislai Chuni mater, quae in diplomate anni 1280. hoc titulo usa est: Elisabetha major regina Hungariae, Ducissa de Machov et de Bosna. Ideirco autem major dicta est, quod filii uxor similiter nomen Elisabethae gereret. e) Occhievia Epitome vetustatum Bosnensium. p. 98. f) Raynald. Annal. Eccl. T V. p. 313. an. 1325. g) Lucius Memor. Tragur. p. 149. Usus etiam hoc titulo est in publicis documentis: Mladinus Banus Croatiae, Comes perpetuus Jadrae, Princeps Dalmatiae, et secundus Banus Bosnae. h) Du Cange Illyr. vetus et nov. p. 119.

## §. 9.

Stephano Bano e vivis erepto rex successorem constituit Tvarkum, defuncti fratrualem, cui Chulmensensem Comitatum, velut uxoris suae Elisabethae ius ademit, et illius loco Naronam cum vicino tractu eidem cessit. Is cum ab adito principatu matris, summae prudentiae feminae, consiliis adjunctus summa animi moderatione regeret, plerique optimatum muliebrem dominationem aversati defectionem moliebantur, quos ubi ille mira felicitate vicit, et accessione terrarum potentior factus est, de sumendo regis titulo cogitabat, explorataque Ludovici mente cum ejus consensu, Milescevi anno 1366. (alii ponunt 1377) a metropolitano coronatus, nomen Stephani Myrtes assumpsit. a) Ab hinc in loco Banorum Reges in Bosnia successere, b) sic tamen, ut supremum

dominium penes Ludovicum ac reliquos Hungariae Reges maneret. Quoties enim pontifices de convellenda apud Bosnenses haeresi agebant, toties literis suis Reges Hungariae solebant convenire, ut suas partes interponerent, auctoritateque sua Bosniae reges ad extirpandos errores compellerent. e) Defuncto Ludovico, quod sub ejus filia, Maria, regnum in principio factionibus intestinis turbaretur, majores animos reges Bosniae accipere. Myrzes enim Chulmensem Comitatum, quem Ludovico prius permutationis lege cesserat, rursum sibi vindicavit, d) et occupata aliqua parte Serviae, titulum etiam Rasciae sumsit. e) quin, cum videret muliebri imperio passim contemni, prope erat, ut Spalatinam Civitatem suae potestati subderet, f) nisi Albertus de Vng, quem Sigismundus rebelli Joanni de Palizna Priorem Auranae subrogavit, urbem in fide regis continuisset. Quia tamen Veneti etiam occasione turbarum usi sunt, et Palizna Prioratum Auranae vi retinere conatus est, Tvartkus capta Clissa, et Ostrovicza, g) civibus frustra opem a Sigismundo implorantibus, h) quod Joannes de Palizna vindictae studio captus, junctis cum rege Bosniae viribus, potentior opposito sibi Alberto esset. Quare urbes Dalmatiae, quae Bosnensium injuriis praecipue patebant, ut in fide Sigismundi regis perstarent, armorum societatem inter se adversus regem Bosniae et Joannem Paliznam iniere, i) simulque oratores in Hungariam misere, qui a Sigismundo auxilia adversus hostes peterent, k) qui Dalmatas ad defectionem sollicitare pergebant; quo factum est, ut partes inter se dissidentes, una factiosis, altera regi Sigismundo adhaerent. Mortuo Stephano Myrze nibilo pacatiores Bosniae res sub Da-



biscia illius successore anno 1391. erant, quem tamen Sigismundus, Bosniam cum exercitu ingressus, brevi ad obedientiam revocavit. Expugnato enim castro Dobor, Dabiscia cum praecipuis suorum ad regem veniens, facile veniam obtinuit. Optimatibus jurejurando stipulantibus se et Bosniam in fide regum Hungariae deinceps mansuros. Dabisciae fatis functo successit Tvardkus, cognomento Scurus, cui mox aemulum se opposuit Ostoja: hinc bellum inter utrumque exortum; Tvardko, cum quo Hervoya, fidei Sigismundi datae immemor, conspiraverat, l) Turcos in suppetias accersente, qui jam tunc, licet sub Ludovico rege ne hiscere quidem ausi sunt, animum ad occupandam Bosniam adjecerant. m) Sigismundus ut turbas mature componeret, exercitum, ut ex literis ad Tragurinos datis patet, duce Joanne de Maroth, Bano Makoviensi, misit in Bosniam, qui Ostojam regem, jugum excutere parantem, ad obsequium reduxit, et nomine Sigismundi in regno adversus Tvardkum confirmavit. Sed cum is ob procacitatem in nobilissimas matronas bosnenses invisus esset, oppositus est illi Stephanus Ostrichius, adversus quem Ostoja Turcos, promisso viginti millium aureorum tributo, filioque Radivojo obside dato, Bosniam adducens, aliquot oppida occupavit, et post inita aliquot praelia, foedere inito, partitis anno 1422. cum Stephano provinciis, uterque titulum regis servavit.

- a) Orbinus Regno degli Slavi, p. 358. b) Fuere hi sequentes: Dubiscia, Tvardkus Scurus, Ostoja Krissich, Stephanus Jablonovich, Thomas Koestich, et Stephanus Tomassevich. Hi omnes, ut Gobelinus testatur, nomen Stephani sumserant. c) Wadding T. VIII. ad an. 1368. N. 2. 3. et ad an. 1372. N. 30. d) Du Cange Illyr. vet. et nov. p. 17. Orbino degli Slavi p. 359.

perche vedendo egli ch' il regno di Ungaria per la morte di Ludovico si cominciava turbare molto, si vaste di questa occasioue, onde occupó tuto il Cortado di Chelmo in in ano al fiume Zetina.“ e) Farlat. Illyr. Sac. T. IV. p. 63. Item Lucius Memor. Tra-  
gur. p. 334, et p. 336. f) ibid. p. 339, et 341. item 345. g) Ibid. p. 342. et 347. h) Ibid. p. 351. et seq.  
i) Farlat. Illyr. s. T. IV. p. 65. k) et l) Lucius Dalm. p. 258. m) Vid. apud Leunclavium Annales Ottmanidarum ad an. 1390.

### §. 10.

Utroque, hoc est Ostoya et Stephano e vivis erepto, Bosnenses concordí sententia Stephanum Thomasinum regem elegere. Is, ut Pontificem romanum, et Mathiam Corvinum regem sibi devinciret, abjurato Manichaeorum errore, ad sacra christiana transiit, et, ne Turcarum Sultanum sibi infensum redderet, clam tributum 25,000 aureorum quotannis se pensurum pollicitus est. a) Magis in Turcarum, quam Mathiae regis partes proclivis. Nam licet Mahometem II. qui personatus Jaiczam arcem, aliaque Bosniae oppida exploratum venerat, agnovisset, tamen liberum, inita cum illo amicitia b) dimisit, arcemque Szenderõ ei tradidit. c) Id Mathias rex suam injuriam interpretatus, graviter tulit, cumque allatis sibi indiciis comperissset, illum id agere, ut coronam a Rom. Pontifice impetret, dedit ad Pium II. literas, in quibus, si id absque suo scitu et consensu fieret, juri suo, quod ad Bosniam haberet, ingens fieri praejudicium, declaravit. d) Quam suspicionem Pontifex scriptis ad Mathiam literis utcumque a se amolitus est. Pontificis responso pacatus Mathias, cum praeterea oratores regis Stephani gratiam rogaturi venissent, facile ei veniam indul-

sit, qui deinde in fide regis constans permansit. Fabula est, si non calumnia, quam Orbinus lib. cit. p. 370. narrat; nempe Tomasium a filio suo, et Radivoio fratre, Mathia rege instigante, in lecto strangalatum esse; cum hujus nefandi facinoris nullus coaevus, aut proximus illi tempori scriptor uspiam vel minimum indicium faciat. Defuncto in regno surrogatus est filius ejusdem nominis Stephanus ex pellice natus, qui hortatu pontificii Legati foedus, quod pater cum Mahumete pepigerat, rupit, et consuetum tributum negavit; qua re Sultanus vehementer offensus, praeter pedites centumquingenta equitum millia Bosniae infudit, et Bobocsium, munitissimum oppidum, proditione interceptit. Mox Stephanum in castro Clissia inclusum cum omni, quem secum habebat, thesauro, non modo deditionem facere coëgit, sed ad Praefectos etiam suos scribere jussit, ut arces, munitionesque omnes Sultano traderent. Ita non integro octiduo supra septuaginta munitissima loca in Turcarum potestatem venire, et Stephanus manu ipsius Mahumetis contra datam fidem interfectus est. e) Haec plane eo tempore evenere, quo Mathias cum Friderico III. Imp. post diuturnas altercationes in concilianda pace occupatus erat, qua confecta, et coacto exercitu in Bosniam an. 1463. movit, crebroque fuis subsidiariis Turcarum copiis Jayczam regni caput obsidione circumdat, quam trimestri spatio circumclusam ad deditionem compulit. Hanc triginta et amplius arces sequutae in pristinam Hungariae clientelam rediere. f) Hunc in modum brevi tempore Bosnia recepta est, ad cujus recuperationem permultum contulit Ladislaus, Stephani ducis S. Sabae filius, qui prius, quam Mathias in Bosniam pervenit,

Turcis copias suas opposuit, et ademptis aliquot arcibus, se regi conjunxit; cui propterea illum terrarum tractum, quem Turcis eripuerat, ea lege donavit, ut quoties rex in Bosniam cum exercitu ipse veniet, aut copias illuc, vel aliorum mitteret, cum militia sua adversus omnes hostes praesto esset. g) Ejectis e Bosnia Turcis, Emericum de Zapolya Gubernatorem Bosnensibus praestituit, adjecta Aurana, ut eo facilius Turcis, si quid in Bosniam molirentur, resistere posset. h) Ac Turcae quidem jacturam aegro animo ferentes, Jayczam haud multo post magnis viribus aggressi, urbem cum castro jam in vicesimum diem obsidione premebant, i) cum regni Gubernator ostentatis ex adverso copiis, sparsaque de regis adventu fama, metu consternatos ab obsidione feliciter removit. Mathias videns Bosniam Turcorum incursionibus expositam, et sibi propterea curas in dies augeri, Nicolaum, Stephani regis a Turcis caesi filium, postea ab Ujlak dictum, ob rem contra Mohametem Sultanum egregie gestam, Bosniae regem anno 1475. renunciavit, cui defuncto filium Laurentium suffecerat, non tamen regis, sed ducis Bosnae et Syrmii titulo cohonestatum, k) ne si regia potestas constanter in manibus alienis maneret, Bosniae sensim ab Hungaria avellendae occasio praeberetur. Turcae nihilominus Bosniam crebro infestare pergebant, quas tamen copiae regiae saepius, et 1479 et 1484 pene ad interuersionem profligarunt. l) Quo factum, ut Bajazethes II. a Mathia rege inducias peteret, m) quas rex, quod inter se, et Fridericum III. ob captam Vienne non dum pax coaluerit, et domi etiam turbae orirentur, in quinquennium facile indulisit. Hoc modo res Bosnenses vivo Mathia se habebant.

- a) Du Cange famil. Dalm. p. 257. b) Luccari Annali di Rausa L. 3. p. 107. c) Id patet ex epistola Pii II. Pont. ad Card. S. Angeli, legatum suum in Hungaria ita scribentis: de indulta autem traditione Castri Szenderö — — miramur vehementer, si cadere quidquam in suum animum potuit, cum nefarium Bosnae regis facinus sit toti orbi notissimum. d) Ep. Mathiae regis p. 63. e) Sunt, qui manu cujusdam Persae necatum scribant, alii palo alligatum, et sagittis confossum, rursus alii vivo cutem detractam perhibent. Magis certa sunt, quae Pius II. in bulla an. 1463. habet: Bosnae, inquit, regem, qui salutem pactus sese dederat, cum patruo suo, Mahumetes ipse, humano sanguine insatiabilis, suam manu, ut fertur, jugulavit. Quod sequente anno ita fuisse, compertum est, ut patet ex Pauli II. Pont. epistola ad Ludovicum Galliarum regem an. 1464. VIII. Id. Januar. scripta: Sicut Bosniae regem, ait, cruentus hostis propria manu truncavit: f) Epist. Reg. Math. ad Papam p. 161. usque ad verba „sed hactenus de rebus Bosniae. g) T. I. MSS. Pray. p. 26. et seq. h) Epist. Math. p. 91. Part. II. i) Math. rex in ep. ad Frid. Imp. p. 178. h) Du Cange famil. Dalm. p. 258. Bonfin. Dec. III. L. 16. Ratkay in memoriis Regum et Banorum Dalm. etc. lib. III. l) Du Cange Illyr. Vet. et nov. tractatu posteriore p. 173. m) Epist. Math. reg. P. IV. p. 1.

## §. 11.

Eo Viennae an. 1490. fatis functo, cum Hungariam Maximilianus I. Romanorum rex ex pactis cum Mathia initis sibi asserere cuperet, regni Proceres autem Wladislaum Polonum, regem Bohemiae, ad capessendum solium invitarent, atque Hungaria idcirco ob duorum aemulationem in partes scinderetur; Turcae occasionem ad invadendam Bosniam iterum nacti, Jayczam, regni caput, saepe commissis alterna fortuna pugnis, tentarunt, ac anno demum 1502. in potestatem redegere, licet regni optimates, quod Wladislaus penuria la-

horaret, levata mutuo pecunia, arci, qua poterant, ope succurrere conati fuerint. a) Non multo tamen post virtute Joannis Corvini, (erat is notus Mathiae regis) fusi fugatique Turcae, Jayczam rursus Hungaris cedere coacti sunt. Qua caede perterritus hostis anno 1508. inducias cum Wladislao pepigit, b) quibus, ut Hungariae, et annexis huic provinciis magis consultum esset, fratrem quoque suum, Sigismundum Poloniae regem inclusum esse voluit, — durantibus induciis Bosniae utcunque consultum erat; sed his finitis Jaycza quidem cum aliquot provinciis Hungaris obnoxia mansit, ast reliqua Bosniae pars, post expugnatas a Turcis urbes, Naupactum, Dyrrhachium, Methonem, et insulam Cephaloniam, versus mare porrecta Turcis parebat. c) Mansit quoque sub Ludovico II. ea Bosniae pars, quam pater ejus possidebat, juris hungarici, sed ob juvenilem regis aetatem periculo amissionis magnopere exposita. Turcae enim potiundae Bosniae cupidi Jayczam regni caput anno 1518. obsidere aggressi, praesidiarios ad extremam famem adegerunt, cui ut rex Ludovicus succurreret, Petrum Berizlonem, episcopum Veszprimiensem, Banum Dalmatiae, Croatiaeque obsessis auxilium et comeatum ferre jussit. d) Qui cum sufficientes ad id praestandum copias non haberet, non alia conditione eam provinciam suscepit, quam si rex Ludovicus publicis literis testaretur, si conatus parum prospere succederent, sibi id nec fraudi, nec damno futurum esse. e) Quo eventu res tentata sit, nusquam reperio; credibile tamen est, hostem ab obsidione repulsum fuisse, cum anno sequente Selymus inducias triennes cum Ludovico conflaverit; f) quibus rex diserte Jayczam g) cum reliquis

castris, castellis et oppidis inclusam esse volebat. Sed dum Solymanus evoluto induciarum tempore Belgradum perfidia Praefectorum anno 1521. expugnasset, animumque ad ipsam Hungariam subjiciendam adjiceret, ne quid a tergo inimicum relinqueret, Jayczam, a cujus possessione Bosnia pendebat, suos obsidione cingere rursus jussit, a qua tamen virtute Christophori Frangepani, qui sub Maximiliano I. caesarianarum copiarum dux in Forojulio, et Istria, adversus Venetos, scientiae militaris laude inclaruerat, memorabili clade rejecti sunt. h) Ludovicus compertum habens, Solymanum ingentes apparatus, facere ad inuadendam Hungariam, ne vires suas distrahere cogere-tur, Ferdinando Archiduci Austriae, affini suo, Segniam, Clissam, Crupani, Licam, et Jayczam, aliasque plures arces, et urbes defendendas com-misit, ipse vero contra ingruentem hostem con-quisitis undique auxiliariis progressus, infelici, an-no 1526. ad Mohacsium praelio, cum Solymano confligens, misere interiit. Qua morte factum, ut et Bosnia sensim ab Hungaria avelleretur. Nam dum ab ejus obitu Joannes Zapolya, factiosorum studiis suffultus, regnum prensaret, et Ferdinan-dus id partim ex pactis initis, et uxorio titulo, partim justa electione sibi assertum iret, Hunga-ri autem in partes divisi inter se dissentirent, Tur-cae usi opportunitate temporis, Jayczam male cu-stoditam applicitis tormentis obsedere, brevique ob desidiam Stephani Gaboroici, arcis Praefecti, in suam potestatem anno 1527. redegerunt; cujus exemplum reliquae urbes sequutae Belajezorum, Orbavatz, Socolium, Levacia, Serepvarum, Apa-turia, Berga, Bossutium, Banyaluka, et Grebe-num deditionem fecere. i) Sic Bosnia, quae ab

anno 1103. juris hungarici (§. 6.) facta supra quadringentos annos in regum nostrorum potestate erat, intestina Hungarorum discordia Turcis occasionem praebente, amissa est.

- a) Dipl. prof. T. 1. p. 98. b) T. I. MSS, Transilv. p. V.  
 c) Du Cange l. cit. Tract. post. p. 175. d) Ex MSS. Syrmaianis. e) ibidem. f) Ex Camera. g) Ibid. h) Istvánffy Lib. VIII. i) idem Lib. IX.

### §. 12.

Ferdinandus, etsi jacturam hanc, ob quam illi apud externos Principes magnam invidiam Zapolya immerito conflaverat, a) dolenter ferret; tamen quod occupata per Turcas fere dimidia Hungaria satis haberet, ut vltiores inimici progressus impediret, nihil operae ad recuperandam Bosniam conferre potuit. Cum eodem hoste, et intestinis praeterea turbis Ferdinandi successores perpetuo fere impliciti vires omnes ad conservandas Hungariae reliquias impendebant, donec sub Leopoldo Magno recuperata anno 1686. Buda, et recepto Belgrado, retrusis Turcis, Sclavonia 1688. jugo liberata est, et ea, quae in Bosnia hostis possidebat, Ludovici Badensis opera armis caesareis in potestatem redacta. Sed tot victoriarum fructus obmoto a Gallis bello, paulum post interceptus est, et decennio fere integro alterna fortuna cum Turcis pugnatum, donec rursus deletis ad Zentam interneccione Turcis, princeps Eugenius octodecim dierum expeditione illatis in Bosniam victricibus armis, arces Dobay, Maslay, Schebre, et Bronduk hosti eripuisset, b) qui eorum jactura ad petendam anno 1698. pacem compulsus, eam sequente anno Carlovicii die 9-a Martii ratam habuit; vi cujus non modo Transilvania, et Sclavonia Leo-



poldo relicta, sed limes etiam in Bosnia, arx Dobay, constitutus fuit. c) Atque hac ratione insignis terrae tractus ad Hunam fl. in pristinum jus regum Hungariae concessit, qui etsi postea, externis et domesticis bellis impedito Leopoldo, rursus in Turcarum manus venit, tamen profligatis ad Temesvarum et Belgradum Turcis, inita Passarovicii anno 1718 pace cum foenore ab Huna fluvio ad Drinum usque recuperatus, et eo usque retentus fuit, quoad postremo cum Turcis bello Belgradum amisimus.

- a) Ita enim ad Principes Imperii die 18. Apr. 1528. de Ferdinando scripsit: Arcem Jayczam in toto orbe Christiano munitissimam cum aliis aliquot arcibus finitimis turpiter, ac dormitando in manus Turcarum devenire permisit; minime reputans non id desidia Ferdinandi, sed quod ipse regnum prensans, Hungariam turbis intestinis involverit, factum fuisse. b) Du Mont. Corps. Diplom, T. VII. P. II. p. 448. c) Idem ibid. et ex alio documento in Cam. reg. d) Du Mont T. VIII. P. II. p. 523.

### §. 13.

Nec propterea tamen jus postliminii in Bosniam amissum est, cum in pacificatione anni 1718. ea, quae Turcis erepta erant, Recuperatorum nomine diserte veniant, ut adeo vel ex ipsa vocis notione jus pristinum in Bosniam elucescat, cum nihil recuperatum vere dici possit, nisi quod antea jure legitimo possessum fuit. Possessam vero fuisse jam ab anno 1103. totam Bosniam a regibus Hungariae jure legitimo, alias (§. 6.) ostensum est. Exercuisse autem dominii suprematum, itidem liquet, dum arbitrato suo duces Bosnensibus dederant, aut judicio suo confirmarunt, (§. 7.) refractarios armis ad obedientiam revocando, et

ducatum filiis, aut fratribus, vel conjugibus suis, aut denique, si visum fuit, etiam externis conferendo (§. 8.). Quin constat etiam Reges Hungariae ex ducibus bosnensibus creasse reges (§. 9. et 10.), et Pontificibus, si se in jura regia miscuissent, restitisse, suamque authoritatem viriliter fuisse tuitos, quod vel exemplo Pii II. perspicuum fit, qui Mathiae Corvino graviter questo, quod ducem Bosniae absque suo scitu per Legatum coronare velle palam spargeretur, in haec verba respondit: Tenemus quoque memoria hanc ipsam coronam fuisse a nostris praedecessoribus saepius (per Bosniae duces) postulatam, neque tamen unquam obtentam, quam si ulla ratione fuisset daturi, non sine honore, et beneplacito tuo, qui jus ad illam praetendis, dandam censuissemus, — — — nec credere debes, sedem apostolicam aliquid concessuram, quod vel Deo ingratum, vel tibi praejudiciosum esse quomodolibet possit.“ — Ut nihil dicam de Ramae seu Bosniae insigniis, et titulo (§. 4.) quae reges Hungariae constanter, et nemine quidquam contra obmovente, in publicis edictis et sigillis praeferebant, praeferuntque etiam hodie; unde consecrarium est reges Hungariae nunquam juri suo in Bosniam renunciasse, multo autem minime ultima pacificatione Passarovicii confecta, a Carolo VI. in Turcos translatum fuisse. Cum enim isti Carolum Imp. et Hungariae regem contra fidem, pace carloviczensi anno 1718. solemniter stipulatam, non quidem directe, sed in confederatis aggrediendo, foederis violatores anno 1736. extiterint, justissimas causas Augustus Josephus II. habet non modo id, quod postremo bello Turcae ex Bosnia adepti sunt, sed totam quoque Bosniam jure pristino vindicandi, quod

emolumenta, quae ex recuperata Bosnia in publicum redundatura sunt, svadere, si non debent, certe possunt.

§. 14.

Nec enim Bosnia, etsi montibus abundet, tam sterilis est, ut sibi multi persvadent, qui ex incolarum desidia soli sterilitatem arguunt. Nam ob aquarum, ex montibus passim erumpentium, abundantiam, quae planitiem et valles irrigant, rerum omnium ferax est, quae ad vitae humanae tam necessitatem, quam commodum spectant, Frumenti, imprimus tritici, hordei et avenae plantarumque quantitate ita abundat, ut non modo regnicolis sufficiat, sed extraneis etiam subsidia praebere possit. Et vel hodie, si paulo fertilior annus sit, vulgus passim vetus proverbium usurpat: jam ad Culini (erat is sub Emerico rege Bosniae Banus) tempora rediimus.“ a) Quo fit, ut si industria humana accedat, solum bosnense sterilitatis perperam accusetur, cujus inrefragabile argumentum vel inde peti potest, quod res pecuaria, seu armentorum, seu minorum pecudum ratio spectetur, in eo flore sit, ut aliquot millia quotannis ad exterarum regionum, praesertim in Dalmatiam et inde in Italiam educantur. Equorum praeterea ea est praestantia, ut generositate et pernecitate caeteris vicinarum regionum praecellant. Montes ipsi, qui ob eminentes rupes sterilitatis opinionem exteris ingerunt, multa etiam vitae commoda praestant. Nam ubi declives sunt, praeter quamquod praestantia uvis vineta, hortos fructiferos, et aquas medicatas habeant; vastissimis etiam silvis horrent, quae varii generis ligna

ad omnem vitae humanae usum suppeditant. Ad haec absconditis terrae thesauris Bosniam abundare, in confessio est: ubi enim montes inculti cernuntur, illic, imprimis ad Stiebernicum, argenti, ferri, aeris, cupri, stanni, et plumbi sunt feracissimi, teste Bolero. b) Quia aurum quoque erui, praesertim prope Vrinitzium, et ex fluviorum arenis, fide incolarum constat, verisimileque est, dum Bosnia in potestate regum Hungariae fuit, ea de causa Saxones isthoc esse missos, ut eruendis metallis operam darent, a quibus condita Novomontana urbs, a campo merularum decem milliaribus dissita, olim celebritatem habuit. c) Nec deest lapidei salis, et aquatici copia. Quod si haec soli nativa foecunditas neglecta squallet, id Turcorum politicae et rationi status ut plurimum tribuendum est, qui cum plerosque incolas militiae adscribunt, res agraria et pecuaria soli ubertati respondere neutiquam potest, quemadmodum eandem ob rationem metalli fodinas fere penitus interire sinunt, ne iis, qui ad id regnum fundatam in jure praetensionem habent, cupiditatem illius recuperandi ingerant. Tanto magis Augusto nostro pro temporis opportuni ratione enitendum est, ut id pristino juri vindicet, cum ob spem emolumentorum, quae memorata sunt, tum ob securitatem provinciarum vicinarum, quos miles bosnensis, si disciplinae hodiernae consvesceret, facile vicinas provincias haereditarias adversus hostiles incursiones tuebitur. Constat enim ex itinerariorum fide, d) in sola Bosnia aliquot septimanarum spatio triginta militum millia colligi posse, quod, si vetera monumenta consulimus, a vero prorsus non abhorret. Siquidem sub Ludovico rege Hungariae ad ducenta millia ex Bosnensibus et Bulga-

ris anno 1360. baptismo lustrata fuisse, e) et sub Sigismundo ad an. 1402. quinquaginta millia e solis Bosnensibus orthodoxae fidei nomen dedisse, memoriae est proditum. f) Quod cum de tota gente, haeresis enim Patarenorum etiam deinceps in eo regno floruit, intelligi non possit, pronum est conjecturam facere, quam populosa olim Bosnia fuerit, et deinceps, praesertim apud gentem Slavam reliquis foecundior, esse possit, si dominum magis hominum commodo et utilitati studiosum, quam hodiernus sit, nancisceretur. Gens enim est christianis sacris initiata, et idcirco dominum ab his alienum perosa, solaque metu imperata faciens, ac de industria deses, quod, quae studio, et labore sibi compararet, rapacitati eorum, quibus subsunt, videant exposita esse. Hinc mercimoniorum etiam, quibus olim impense dediti erant, studium apud illos elanguit, quod tamen olim, dum regibus Hungariae parebant, magno cum foenore, vigeat, vigeretque hodie ob fluviorum copiam. Plerique enim omnibus aucti in Savum decurrunt, cujus beneficio frumentum, cuprum, aes, ferrum, pelles bovinae, lana, cera, alique proventus in Danubium devehit porroque traduci possent, quin et ad meridiem versus mare Adriaticum via mercimoniis per rempublicam ragusiensem pateret, quae in pacificatione anni 1699. clientelae Leopoldi Imp. et Sultani Turcarum ex aequo subjecta fuit, possentque emolumenta multo majora ex Bosniae regno sperari, si, ut id Serviae conterminum est, ita et haec Augusto nostro pareret. Idem enim in Serviam, quod in Bosniam, regibus Hungariae jus postliminii est.

a) Orbinus regno degli Slavi p. 353. b) Relazioni universali dall' Europa. P. I. L. I. p. 79. c) Petancius

Segniae Cancellariüs de itineribus aggreudi Turcas ex Pannonia. T. I. Script. rer hung. p. 869. d) Lazarus Soranzi de Imperio Turcico in Corringii operum Tom. V. p. 549. e) Raynald Annal. Eccl, ad ann. 1366. f) Waddingus in Annal. Minorum T. LX. p. 216.

## P a r s II.

### §. 15.

Serviam, quae et Rascia dicitur, et quam ab occasu Drina fl. ab ortu autem Tuniokus amnis, ad septemtrionem Danubius cum Savi parte et montes Albaniae, ac Macedoniae a meridie terminant, eadem Serviorum cum Bosnensibus in principio gens coluit, et post factam inter se divisionem (§. 3.) suis principibus, nullius alterius imperio obnoxia, parebat, donec in clientelam regum Hungariae concessisset. Inter Imperatores Orientis ac Hungariae reges diu de Servia dimicatum est, utrisque suprematum juris in eam regionem sibi vendicantibus. Primus omnium, quod quidem fide scriptorum constat, Manuel Comnenus erat, qui cum Hungariae regibus de Servia armis contendebat. Praeerat Serviis circa an. 1115. Urosius, quem scriptores hungari Banum et magnum Serviae Comitem appellant, a) cujus filiam Helenam Bela II. cognomento coecus, uxorem duxerat. b) Hinc Graeci, quibus frequens erat cum Hungaris armorum collatio, veriti, ne si rex Hungariae Serviano sanguini per nuptias innexus sensim Servia potiretur, Hungari viam ad carpendas Imperii sui ditiones apertam haberent: ad averendum id periculum armis utendum esse censuerunt, primusque, ut dixi, Manuel Comnenus Princeps aquirendarum provinciarum cupidissimus,

Primislaum, qui Urosio patri successerat, bello appetiit, ea solum de causa, quod ipse suprema auctoritate Serviis imperare vellet, etsi ne vestigium quidem exstaret, quo ostenderet illum sibi ullo jure antea obnoxium fuisse. Itaque, Primislaus ab armis imparatus, facile a Manuele victus est, et principatu exutus, cui Belusem fratrem an. 1156. substituit. c) Sed is fastum Manuelis, qui sibi jus in Serviam nullo titulo arrogabat, aver-satus, non multo post depositis principatus insigniis ad Geyzam II. regem in Hungariam concessit, d) qui illum liberaliter exceptum dignitatibus auxit, et regni Palatinum constituit. e) Manuel Belusi, sponte e Servia discendenti, fratrem illius natu minimum Dessam, qui Dendrae provinciam a patre haereditariam acceperat, pro arrogantia sua subrogavit, ut vel hoc titulo jus in Serviam sibi vindicare posset; sed Beluses, quid Manuel moliretur, non ignarus, fratri suo Desae author erat, ut, si a Graecorum impetitionibus liber esse vellet, se regis Hungariae clientelarem aperte profiteretur. Id ipse adeo Cinnamus Manueli coaeuus et familiaris ad an. 1162. quo Stephanus III. Geysae filius Hungaris praefuit, in haec verba scribens affirmat; f): „Venere — paulo post e Hungarorum gente ad Imperatorem — Manuelem — Legati, quibus ille (Deses, Belusi frater) forte fortuna obvius factus, rogatus est ab iis, uti moris est; quemadmodum res suae se haberent? illis haud dissimulanter respondit: optime, et prout regis eorum (Stephani) erga se benevolentiam mereretur, Dominum illum palam nominans.“ Ipse igitur, principe Serviano teste, Hungariae rex illius Dominus erat, ex quo consecrarium est, Serviam sponte sua in regum Hungariae clientelam concessisse.

- a) Thurocz. Chron. cap. 63. et 65. b) Hac de causa Otto Frisingensis Lib. de Gestis Friderici cap. 32, et Gualtherus lib. 6. Liguriae, Urosium, Geysae avunculum vocant. l. c. Cinnamus Hist.) Libro. l. c. . . . Primislaus . . . qui regioni isti — Serviae — praeerat, et antehac, ut memoravimus, defectionem fuerat molitus, suo jure, nullique obnoxius imperitabat, quam ob causam cum ab Imperatore principatu propemodum fuisset exulus, postea consecutus veniam, pristinam dignitatem retinuit. Tum vero nulla habita Sacramentorum ratione, novis iterum rebus studere instituit. Quapropter in illum animadvertit Imp. eique ademit principatum, cui Beluzem fratrem praefecit. “Illa Cinnami: „ut memoravimus, graecanicam fraudem aperte produnt, cum nusquam in toto suo opere memoret „Primislaum defectionem molitum fuisse. Et, si, ut Cinnamus diserte testatur, suo jure nullique obnoxius imperitabat Primislaus, qua ratione defectionem a Manuele poterat moliri? Certe, qui defectionem molitur, non sui, sed alterius juris et domini est. d) Cinnamus ibid. „Verum Baluses non diu multum principatu potitus, illius insignia deposuit, patrioque excedens solo venit in Hungariam, ubi cum multos exegisset annos, mortem tandem obiit.“ e) Legitur in diplomatibus annorum 1145. 1156. et 57. Palatini nomine subscriptus. f) Cinnamus l. c.

### §. 16.

Abhinc ergo Servia, licet Manuel, quoad vixit, saepe contra niteretur, Hungariae clientelaris facta est, quod jus ceteri post Stephanum III. Hungariae reges constanter sunt tuiti. Nam ubi Stephanus N e e m a n u s, Dessae pronepos, se ex clientela subducere vellet, ac idcirco ab Innocentio III. Pont. Legatum mitti peteret, qui populum ad unionem Ecclesiae adducat, sibi que regium diadema conferat, Emericus rex, missis in Serviam copiis, Stephanum dignitate movit, fratremque Vulcum, cui cum Stephano male conveniebat, a)



in illius locum substituit, quemadmodum patet ex Innocentii III. Pont. litteris ad regem ita scribentis: „tu vero, postquam expugnasti Serviam, amoto Stephano, et Vulco substituto in locum ipsius, per tuos nuncios destinasti, quod terram illam ad obedientiam Ecclesiae romanae reducere cupiebas.“

Vulcus principatum, Emerici beneficio, adeptus, ut se, suamque gentem a Graecis penitus abstraheret, conscio rege, literas ad Pontificem dederat, quibus se, et regnum in fide erudiendum offerebat, quas partes Innocentius III. se Joanni Colocensi Archiepiscopo detulisse, scriptis ad Vulcum et Archiepiscopum literis significavit. b) Nec invitum se Emericus ostendit, si Pontifex Vulcum coronari per Legatum suum vellet, ea tamen conditione, ut jus regium in temporalibus salvum, integrumque esset, quemadmodum ex Pontificis ad regem epistola perspicuum fit: „Tu quoque, ita Innocentius Emerico rescripsit, Tu quoque nobis, si bene recolimus, suggestisti, quod tuae serenitati placebat, ut Megajupanus Serviae debitam et devotam apostolicae sedi reverentiam et obedientiam exhiberet, et a nobis salvo in temporalibus jure tuo, regium susciperet diadema.“ c) Sed rex re matura deliberata, veritus, ne juri suo ea coronatione praejudicium fieret, voluntatem suam paulo post mutavit, Pontifice non invito, qui a mittendo in Serviam suo Legato abstinuit, licet serius postea Pontifices regis titulum Serviae Despotis non raro tribuerent, jure regum Hungariae semper salvo. Idem jus suprematus in Serviam Andreas II. Emerici frater, conservavit, quod ipsum in causa erat, cur, defuncto Henrico Flandro, Balduini fratre, se a La-

tinis Imperatorem Orientis designari comperisset, per Serviam iter cum cruce signatis ad Palaestinam arripere constitutum haberet, primusque fuit, qui regis Serviae titulo in publicis edictis utebatur, quem morem Bela IV. ejus filius, ceterique reges cum suprematu dominii retinuerant, usi vel armis, si opus, ad gentis Principes in obedientia servandos, vel, si turbis domesticis distracti essent, juncta affinitate sibi conciliandos; cujus exemplum in Stephano IV. d) et Andreae III. Veneto extat, cujus consensu nuptiae inter Vladislaum, Stephani Serviae regis filium, et Constantiam Morosini filiam, conflatae erant. e) Hoc nexu sanguinis Andreas Serviam usque ad vitae exitum pacatam retinuit.

- a) Cinnamus l. c. „Ceterum, ne quidem hi Neemani filii (Stephanus et Vulcus) longo tempore concordēs manserunt, sed inimicitias susceptis — — Vulcus victor Stephanum et principatum et patriam exegit.“ b) Ex regesto literar. apostoli. Innocentii P. III. Tomo II. Epist. 24. Archivi Vaticani. c) Ibid. epist. 126. d) Ita Stephanus, cognomento Dragulinus, filiam Stephani V. in matrimonio habuit, cum in pacificatione regis cum Ottocaro discrete generi dicitur: „praedictae, inquit, ordinationi et paci includi volumus — — Urosium regem Serviae, et Stephanum filium ejus, juniorem regem Serviae, generum nostrum. e) Apud Muratorium Script. Ital. T. XXII.

### §. 17.

Sed illo extincto, dum tres rivaies de regno Hungariae dimicant, Urosius Milutinus excutiendi jugi occasionem arripuit; verum, ubi Carolus, post obtentum Hungariae solium, res domi pacaverat, ut malo huic mature consuleret, Mladino Bosniae Bano cum suis copiis accersito, in

Serviam exercitum promovit, et Urosium memorabili praelio victum, a) provinciis omnibus exiit, qui post confectam pacem, et obtenta Macedoniae maritima, Hungariae regem supremum Dominum agnoscere coactus est. b) Qui, quamquam ducta Eudoxia Andronici Palaeologi senioris Imp. sorore, Graecis sese adjunxerit; tamen, qui ei in Servia successerant, constantes in fide regum Hungariae mansere, usque ad Stephanum cognomento Duscianum, qui cum esset bello praestans, Graecos perinde ac Hungaros armis lacesivit, et moto in Stephanum Bosniae banum bello, ejus provincias depopulatus est. Id Ludovicus Hungariae rex, qui Carolo patri successerat, suam injuriam interpretatus, Stephano bano, utpote clientelari jure sibi obstricto, suppetias misit, quae cum haud magnos in principio progressus, rege alibi occupato, facerent, Ludovicus Belgradi castellum, ad Danubii et Savi confluentem excitavit, quo Serviorum excursiones coërcerentur. Retentus hoc froeno Duscianus utcunque in obsequio est; ast cum Tartari anno 1552. Serviam ingressi, regionem vastarent, penitus se in Ludovici fidem dedit, cujus copiis adjutus, hostes aggressus, commisso praelio fudit, et a Serviae finibus recedere coëgit. Abhinc Duscianus in fide constans perstitit, nec Ludovicus, quamquam a Pontifice crebro admoneretur, ut eum ad haeresim ejurandam armis cogeret, quidquam movendum existimavit, ratus Principem sibi ceteroquin fidelem ob religionis diversitatem minime lacesendum; sed bellum potius post confirmatam sibi Serviam, eluso Pontifice, ad recuperandam Dalmatiam in Italiam transferendum esse, quod quam feliciter illi ceciderit, ex eorum temporum annalibus constat.

a) Raynald. annal. eccl. T. XXIV. p. 127. b) Du Cange Illyr. vet. et nov. pag. 57.

§ 18.

Ludovico rege defuncto, ut res Hungariae, sic etiam Serviorum, paulatim sub Maria illius filia, et hujus conjuge Sigismundo, defluebant. Nam in loco regum Servia Despotas deinceps nacta est. Primus ex his Lazarus Pribazii, Chrebelanovichii filius, se factioni Joannis Horváthi, et Joannis de Palisna, Auranae Prioris, adversus Sigismundum adjunxit, et Belgrado diruto Sirmium provinciam devastans, jugum excutere conatus est. In hunc igitur Sigismundus sub initium sui regiminis bellum parans, dum Lippae moratur, ad Proceres Tibaldios scripserat, ut se cum copiis Alberto de Ungh, quem in locum Joannis de Palisna priorem Auranae renunciaverat, dum ipse in Lazarum profiscitur, ad defendendam Slavoniam sociarent. a) Hoc apparatu, et Amurathis Turcarum Sultani adventu, territus Despota, non modo ad pristinam clientelam rediit, sed copias etiam hungaricas, quae contra se paratae erant, adversus Turcas facile a Sigismundo impetravit, quibus adjutus cum hoste ancipiti praelio anno 1389. congressus, una cum Amurathe in pugna occubuit. b) Turcae ob Amurathis caedem nihil segniores magnam Serviae partem subegerunt, et Sigismundum volentem amissa recuperare, ad Nicopolim anno 1396. profligant. c) Sed is videns, non aliter, quam recuperata Servia, Hungariam tutam esse posse, reparatis viribus in Turcas iterum movit, et munitissimis arcibus Besucko, Borychio, Vidino, et Orchovo expugnatis, Turcas tota Servia ejectos in Thraciam repulit. d) In hanc modum purgatae ab

hostibus Serviae Stephanum Vukovichium, Lazari filium, provinciae praefecit, qui ne a Turcis vicinis infestaretur, annum tributum Bajazethi, Amurathis successori, primum quidem pollicitus fuit, postea autem, quum is a Timure captus esset, et Turcae de regno inter se contenderent, pace cum iis inita, metu pendendi tributi liberatus est. — His periculis perfunctus cum nullam haberet haeredis ex Eugenia Cantacuzena procreandi spem, Sigismundum obtestatus est, ut Georgium Vukovichium, e sorore sua nepotem, inter regni Hungariae Proceres cooptaret, suumque successorem renunciare vellet, quod rex accepto prius ab optimatibus Serviae fidelitatis juramento, libenter petenti annuit, et Serviam Georgio contulit cum iis oneribus, quae feudatarii praestant, Belgradum tamen et aliquot magis munitas arces ex donatione eximens, e) „eo, ut rex ipse loquitur, specificè declarato, quod in casu, quo et ipsum Georgium sine haeredibus masculinis decedere contingeret, ex tunc omnia praedicta per nostram Majestatem eidem data et collata, ad Majestatem coronamque et regnum nostrum integraliter redeant et devolvantur.“ f) Qui casus cum jam ab anno 1474. quo Lazarus Vukovichius relictis solum filiabus, obiit, re ipsa existat, patet hoc ipso jus postliminii in Serviam ad reges Hungariae devolutum esse.

- a) Diplom. prof. Tom. I. p. 81. b) Errat D. Du Cange, alique, qui Lazarum ab Amurathe captum, et in partes concisum esse scribunt. Sigismundus enim in diplomate anni 1408. diserte in haec verba ait: Ipso denique Lazaro, et Omurath Turcarum Imperatore in conflictu personali inter se commisso, debita carnis universae utrisque reddentibus.“ etc. c) Infelicem pugnam rex in diplomate anni 1412. his verbis describit: „Tandem juxta castrum Nicopolis majoris,

ubi cum praefato exercitu nostro nimium vigoroso — castra fixeramus, cunctis usque ad locum illum gentibus in brachio subjugatis, ex adverso Turcarum Imp. cum immensa copiositate paganorum nobis occurrens, praeliaturus in area certaminis gravis inter utrosque conflictus est exortus, sed intermedio conflictus tempore, occulto Dei iudicio, exercitus noster flexis habenis coactus fuit, proh dolor! a facie hostium terga dare<sup>e</sup> etc. d) T. I. dipl. prof. p. 9. a verbis: „nobis sceptrum, et solium regni nostri gloriose adeptis etc. ad verba: habuimus cum triumpho. Vid. Wagner Genealog. Dec. I. p. 82. e) Tom. III. prof. in fine „Donatio Sigismundi Despotae Georgio facta.“ f) Haec consveta in regis donationibus formula fuit. Datum Diplomatis est anno Domini 1426. ex quo Ducas, scriptor graecus, qui illum anno 1421. et Lucari in annali di Rausio. Lib. 3. p. 87. qui anno 1425. defunctum scribunt, corrigendi sunt.

### §. 19.

Stephano mortuo successit Georgius Nepos, quemadmodum Sigismundus constituerat, sed ejus initia haud satis auspiciata fuere. Amurathes enim Turcarum Sultanus, quod Stephani defuncti sororem Bajazethes, ejus pater, uxorem habuerit, jus sibi in Serviam arrogabat, quamvis exploratum esset, hanc in prolem obiisse. Ad haec Joannes Palaeologus Orientis Imperator, ut Georgium sibi adversus Turcas conciliaret, eidem insignia despoticae dignitatis et coronam per Legatos transmisit. a) Despota videns parum praesidii in Palaeologo situm esse, et, Sigismundo interea defuncto, serum ab Hungaria auxilium affuturum, ut periculum a se amoliretur, ad artes conversus, Amurathem, tradita ei in conjugem sorore, utcunque sibi pacatum reddidit. Verum Turca, Serviae occupandae cupidissimus, haud multo post bellum Georgio indixit, ea imprimis de causa, quod is Alberto re-

gi, qui Sigismundo successerat, homagium fidelitatis praestitisset. Itaque Serviam iugressus Senderoviam obsidione cinxit, quam etsi Despota acriter tueretur, tamen invalescente in dies hoste, desperans se illam diutius servare posse, relictis in ea uxore, et prolibus, clam evasit, ab Alberto rege, qui exercitum ad Danubii et Tibisci confluentem jam promoverat, suppetias flagitatum. Serum tamen id erat, quod Amurathes expugnata interim Senderovia, tum necato Georgii filiorum maximo, b) et filia in captivitatem abducta, copias adversus Graecos promovisset, et Alberti copiae ex ventriculi profluvio laborarent, quo morbo militum pars potior, et ipse Albertus haud multo post extinctus est. Paulo ante mortem tamen Georgio, at clientelari principi, donec Servia recuperaretur, arcem Vilagosvár cum finitimis oppidis ad sustentandam dignitatem dono dedit. c) Hoc modo Serviam Amurathes ab anno 1439. obtinuit usque ad annum 1443., quo intermedio tempore, cum Hungari de eligendo in regem Wladislao Polono, vel Ladislao, Alberti filio posthumo, inter se dissiderent, Turcae occasionem aucupati vastitatem non modo in Valachiam, sed et in Transilvaniam quoque intulere, in quos Joannes Huniades, conscripta maximam partem aere suo militia, profectus, non tantum hostem, maxima caede profligatum, ex iis provinciis ejecit, sed traductis quoque trans Danubium copiis Serviae praecipuam partem, victis et eliminatis Turcis, Despotae Georgio ejusque fratri Lazaro restituit: d) fuissentque Turcae tota Servia facile exacti, nisi anno 1444. Wladislaus rex infelici ad Varnam praelio cum praecipua exercitus parte occubisset. Ea victoria hostes elati Serviam anno 1449.

rursus invadunt, sed iterum ab Joanne Hunnyia-  
de memorabili pugna victi, ex eadem excedere  
coacti sunt, et Despota, licet intercepto post Var-  
nense praelium Hunnyia de in se iram victoris con-  
citasset, condonatis tamen publicae pacis causa in-  
juriis, in obsequio confirmatus. Haec vivo Amu-  
rathe acta. Muhametes eius successor, cum vide-  
ret Serviam ex ipsa situs ratione obtineri non posse,  
nisi aut Graecos ex una, aut Hungaros ex al-  
tera parte vinceret, animum ad Graecos, apud  
quos vigor ille militaris jam emarcuerat, doman-  
dos adjecit, rectaque Constantinopolim an. 1453.  
aggressus, brevi urbem una cum graecanico im-  
perio sibi asseruit. Reparatis post captam Constan-  
tinopolim viribus, Belgradum, quo obtento tutam  
sibi Serviae possessionem fore existimabat, acer-  
rima obsidione cinxit, nec dubium erat, quin mu-  
ris jam e fundo quassatis eo potiretur, nisi Joannes  
Hunyades cum cruce signatis urbi auxilio ven-  
nisset, a quo Mahometes II. tam navali, quam  
terrestri pugna victus, amissis prope centum suo-  
rum millibus, deletoque, quo praecipue valebat,  
peditatu, incensis item castris, et relictis omni-  
bus belli machinis, ipse etiam vulnere perstrictus,  
in fugam conjectus est. e).

- a) Ducas hist. cap. 30. et Leonicus Calchondylas lib. 5.  
b) Errat Calchondylas, cum hunc ab Amurathe ex-  
oculatum scribit: Albertus enim rex in diplomate an-  
ni 1439. diserte necatum esse testatur. c) T. I. prof.  
p. 21. d) Ibid. p. 23. e) Vid. Pray Annal. Reg. Hung.  
P. III. a p. 170. ad 183, qui obsidionis hujus narratio-  
nem ex iis, qui bello intererant, contextuit.

## §. 20.

Ahinc Turcae nihil in Serviam illo usque mo-  
liti sunt, donec Mathias Corvinus, Joannis Hu-



nyadis filius, rerum in Hungaria potiretur, cum quo dum Fridericus III. Imp. de obtinenda Hungaria contenderet, multosque ex potioribus regni Proceribus in suas partes pellexisset, Turcae dissidiis his usi, missis in Serviam copiis ad Senderoviam constitere. Praeerat huic ex Mathiae indultu, filius Stephani Bosniae regis, Hungariae clientelaris; qui tantum aberat, ut urbem, sicut pollicitus fuit, tueretur, ut eam, accepto a Turcis auro, eisdem etiam perfide prodiderit. Quo fiebat, ut barbari rursus per Serviam impune grassarentur, et sensim amittendae totius provinciae metum Corvino injicerent, qui cum a Pontifice per literas, et nuncios saepe admoneretur, ut bellum in Turcos susciperet, magnos ad id apparatus eo libentius fecit, quo certius erat, Davidem Trapezunti Imperatorem, tum Gorgoram Georgianorum, et Georgium Persarum, reges, arma cum ceteris confoederatis Asiae in hostem arrepturos; a) quod eorum legati ad Mathiam et caeteros Europae principes, quorum Oratores Concilio Mantuano belli turcici causa intererant, missi palam affirmabant, b) omnesque in hostem exhortabantur. Poterat Turca hoc occasione ex Europa facile exigi, nisi Principum christianorum dissidia intercessissent, et Mahometes non occupasset eorum consilia, qui, postquam quid in se cuderetur, intellexisset, omni abjecta mora, traductis in Asiam copiis, et profligato Davide finem imperio Trapezuntivo fecit. Ea re confoederati Asiae Principes territi, magis quisque de suo defendendo regno, quam de debellando Turca solliciti fuere. Itaque Mathias, licet sibi soli relictus, ut primum tamen cum Friderico Imp. lites composuit, exercitum in Bosniam traduxit, ex eaque post occupatam anno 1463.

Jajczam Turcas exegit, simulque in Serviam transgressus, quidquid in ea hostilis ditionis erat, ferro igneque vastavit, caesis pluribus, et in captivitate abductis, quemadmodum ipse rex ad Pium II. Pont. in haec verba perscripsit: c) „Ego vero posteaquam hujusmodi victoria donatus sum, rei bonae spem meliorem sequi statui, et illico levavi tota castra, a loco priori, trajeci Danubium, continuatoque gressu accessi ad vada Savi, ab hostibus jam ante occupata, quibus facile recuperatis depuli inde reliquias hostium prius fugatorum, et ad persequendum eos iter in Serviam direxi; nam tempore intermedio Turcus confectis rebus, Bosnae fines ejus retrocedens excesserat, regressusque jam fuerat in Macedoniam. Itaque castra Serviae inferenda erant. Eam ergo longe lateque peragravi, ceterum igne, gladio, praeda vastari jussi: multi in ea ex hostibus turmatim palantes deprehensi, in occisionem et captivitate devenerunt, animarum circiter millia quindecim de servitute in libertatem pristinam cum armentis et rebus feliciter reducta sunt.“

Turcae quidem hac ratione magnam Serviae partem amisere, tota tamen recuperari non potuit, quod Mathias bello austriaco et bohemico maxima temporis parte impeditus esset. Itaque impediri hostes non poterant, quin per absentiam regis Senderoviam occuparent, et exstructo Sabatio rursum pedem in Servia figerent. Ac hoc quidem, ut primum anno 1475. tantisper quieto Mathiae esse licuit, adductis decem suorum millibus, trigesimo obsidionis die in potestatem redegit, ad Senderoviam tamen, quam eadem celeritate expugnari posse credebat, adhaesit, quod Vajvodae Moldaviae, quem Turcae bello petebant,

suppetiae mittendae essent, quarum adventus fama hostis, qui iam irrumpere in Transilvaniam parabat, metu consternatus ad sua se recepit. d) Deinceps curae regis a Servia in Austriam traductae sunt ob bellum, quod illi cum Friderico Imp. intercessit, quo quidem omnem eam provinciam, Imperatore in Styriam redacto, sibi subjecerat, sed Turcis interea spatium dedit se in Servia magis, magisque stabiliendi, fuissetque de illa actum, nisi Paulo Kinysio, viro forti, et militiae laude claro, in mandatis dedisset, ut, dum ipse in Austria belli molem sustineret, is Turcos ab ulteriore progressu prohiberet. Paulus igitur anno 1482. delecto triginta duorum millium exercitu Temesia movens, et trajecto Danubio, Serviam cum Georgio Despota ingressus, usque ad castrum Krusoltz penetraverat, obuios hostes passim profligans, vastatisque ferro et igne oppidis turticis, Serviae partem, quae regi parebat, plus quam 30 millibus incolarum, quos ex hostico abduxerat, implevit, secumque decem Turcarum millibus, quae se sponte dediderant, abductis, Danubii ripas duobus castris, quibus hostis deinceps in froeno contineretur, munivit: magnam propterea apud externos famam consecutus, quemadmodum rex, dum non multo post Belgradum venit, suis literis Cardinalem Agriensium antistitem Romae commendantem, edocuit, e) Purgatae ita ab hostibus Serviae rex Georgium Despotam praeposuit, ut vigili cura in hostem intentus provinciae reliquias pro suo virili tanto magis tueretur, quanto diutius ob diuturnas Turcaram infestationes paterno principatu caruisset. Verum cum is conceptae de se expectationi minime responderet, Mathias Serviam anno 1486. suis curandam credidit, Despota in

provinciam Valkiensem traducto, cui, et fratri ejus Joanni, ut pro dignitate sua haberentur, arcem Beregszo cum finitimis oppidis attribuit cum jure in haeredes transituro, nec aliter adimendo, nisi reges successores decem aurorum millia dependerent. f) Hanc postremam Mathias curam Serviae impendit, Viennae an. 1490. exstinctus.

- a) Extant hae literae inter Pii Papae II. epistolas n. 377. 378., et 379. b) Gobelinus Lib. 5. c) Inter Epistolas Math. Corv: 73. d) Pii II. epistola inter Mathiae regis epistolas part IV. n. 6. e) Parte IV. epist. Math. p. 211. f) Vid. Annał. reg. Hung. P. IV. p. 185.

### §. 21.

Huic Wladislaus II. anno eodem successit, Princeps animi mediocris, et otio deditus, qui, cum in principio, ob regni competitores Maximilianum I. Rom. regem, et Albertum Poloniae Principem, in stabiliendo sibi solio occupatur, Turcae in Bosniam irrupere, captisque aliquot castris, Jayczam obsessuri videbantur, a) quam si occupassent, Belgradum rebus omnibus ad defendendum necessariis destitutum, dilapsis etiam metu praesidiariis, ad ictum destinabant, quo intercepto, tota Servia in potestatem hostis venisset. Munitus propterea rex de discrimine, b) Laurentio de Ujlak, Sirmiensi Duci, in mandatis dedit, ut conjunctis cum Georgio Despota consiliis et viribus, imminens periculum propulsaret, qui, cum antea Despotae inimicus esset, regis autoritate, et Archiepiscopi Colocensis opera eidem conciliatus, c) sua diligentia effecit, ut contra Belgradum, et Serviae reliquias nihil tum quidem Turcae moliri auderent, cum satis mature non solum Belgrado, sed Sabacsio quoque et Zeverino provisum

esset, ac anno 1493 Mathias Gereb Alibegum, Senderoviae Praefectum, qui in Transilvaniam irrumpere parabat, praelio victum, et quindecim suorum millibus mulctatum, represserit. d) Latius anno sequente metum inter Turcas propagavit Paulus Kinÿsius, qui cum decem millibus Serviam ingressus, profligatis hostibus, pluribus castris igne corruptis, et praedis abactis, Belgradum adversus hostis incursiones magis munitum reddidit. His permotus Bajazetes legatos cum amplissimis muneribus ad Wladislaum misit, qui in decennium inducias impetrarent. Rex tamen hortatu suorum triennales solum indulxit, partim ne ipse sibi occasionem rei bene gerendae, si quae offerretur, e manibus elabi sineret, partim ut hostis ostentatione fiduciae in metu contineretur. Maximiliano quoque Caesari cautum, ne Turcae induciarum tempore in Carnioliam, Styriam, Corinthiamque procurrerent. Sed Bajazetes parum memor eorum, quae induciis pactis promiserat, suos clam ad occupandam Jayczam miserat, qui tamen, mature prodita eorum molitione, a Joanne Corvino insigni cum clade rejecti sunt. Hostis inconstantia permovit Wladislaum, ut ad foedus accederet, quod Pontifex cum Hispanis, Gallis, Venetis, et Rhodiis adversus Turcos conciliaverat, qui ut regem in proposito confirmaret, quadraginta aureorum millia e) quotannis in belli sumptus se ei suppeditaturum pollicitus est. f) Hac Principum christianorum confoederatione Sultanus Turcarum a ferocia haud parum remisit, egitque per oratores, ut induciae priores in longius tempus prorogarentur, quas rex anno 1503. in septennium indulxit „pro se, ut diploma habet, et universis Principibus christianis, speciatim

tam ratione regni Hungariae, quam ratione Bohemiae, Moraviae et Silesiae. g) Hac ratione Bajazethes, et qui illi successerat, Selimus nihil vivo Uladislao in Serviam et Bosniam porro tentaverant, sive quod foedere Cameracensi anni 1509. in froeno continerentur, sive satis domi habebant, ut rebus suis consulerent.

- a) Pray Annal. P. IV. 228. b) Ibid. p. 229. c) Ibid. p. 230. b) Rajnald Annal. Eccles. T. XI. ad an. 1493. „Tertia Aprilis Papa pro matutinis se parante, Episcopus Nitriensis orator regis Huugariae legit coram Pontifice et Cardinalibus ibidem praesentibus litteras ejusdem regis, prima die Martii proxime praeteriti in Hungaria datas, per quas significabat ei, se magnam et singularem victoriam habuisse contra Turcos, 15.000 vel circa, occidisse, et prostravisse, et non modica spolia exinde reportasse.“ e) Ibid. ad an. 1501. f) Pray. Annal. P. IV. p. 290. a verbis „cum tua circumspectio etc. g) Diploma extat in tabulario augusto Viennae. Liquet id etiam ex epistola Wladislai regis ad Chienses data anno eodem, apud Pray annal. T. IV. p. 305.

## §. 22.

Ast sub Ludovico II. qui Patri Wladislao an. 1516. successerat, rursus metus novi belli a Turcis inferendi obortus est. Selimus enim constitutis e sententia rebus maritimis, ingentes apparatus facere ferebatur, et ad speciem quidem arma Persis se illaturum ostendebat, re autem vera, quod reliquum in Servia et Bosnia fuit, subjugare meditabatur. Quare arcium Praefectis data mandata sunt, ut in hostis motus diligenter invigilent, imprimis autem Jäytzae et Belgrado ut prospiceretur, imperatum. a) Sed metus hic una cum periculo dein dissipatus est, quod Selimus cogitationes suas, studiaque in Aegyptum, quae secessio-

nem ab illo fecerat, convertere debuerit. Itaque qui Regi a consiliis erant, temporis opportunitate utendum rati, suasere, ut induciis cum Sultano, a quo commodum orator aderat, ineundis assensum praeberet. Conflatae sunt anno 1519, die 1-a Apr. quibus praeter cetera reliquiis, quas Hungari in Servia et Bosnia adhuc possidebant, praecipue cauebatur. Qua ratione quieti utcumque consultum erat. b) Sed hanc brevi interruptit Solymanus Selimi successor, qui nondum expleto induciarum tempore, ingenti cum exercitu Serviam ingressus anno 1521. expugnato Sabacio, reliquisque castris Belgradum obsedit, ac Praefectorum perfidia desertum cepit; quo capto mediam fere Hungariam subegit, retinuitque supra sesqui seculum, donec Leopoldi M. auspiciis ultra Savum rejectus esset, a quo tempore non tam de Hungaria infestanda, quam Servia retinenda sollicitum esse oportuit, ad quam ex integro recuperandam licet nostri capto aliquoties Belgrado operam impenderent, nunquam tamen, quod in medio victoriarum cursu ad externa bella avocarentur, eventus conatui respondit, Deo felicitatem hanc Augusto nostro, ut credibile est, destinante, qui jura sua, cum tempus monuerit, feliciore exitu in id regnum vindicabit, quod cum potiori parte planum sit, majora commoda, et fructus, quam Bosnia, pollicetur, seu terrae foecunditas, sive opportunitas mercatus, et hominum frequentia, ex quibus supplementa militiae legi possunt, in considerationem veniant. Ad haec ubi regio in montes turgescit, auri, et argenti feracitate Transilvaniam aequare videtur, quod Despotae illius ob auri abundantiam Edicta sua majoribus, quam reges Hungariae, bullis aureis signare, c) citra-

que suum dispendium metalli utriusque fodinas aliis donare soliti sunt. d) Nunc haec ob Domini, cui subest, despotismum, neglecta jacent, populo, ut multorum, qui Serviam oculo philosophico lustrarunt, testimonio constat, de industria desidioso, qui, si ab hoc jugo liberaretur, et liberari omnino desiderat, dubium non est, quin Servia brevi tempore florentissima redderetur, et, ut gens est moribus, lingua, et situ Bosnensibus, et Bulgaris conjuncta, unitis etiam viribus potentiam Augusti nostri mirifice auferent.

- a) Ita ipse rex Ludovicus in epist. ad patronum suum regem Poloniae data die 10. Apr. 1516. b) Ex Annalibus Pravianis P. V. p. 52. c) Exemplo est ingens bul-  
la aurea Lazari Despotae. d) Ex Timone.

### P a r s III.

#### §. 23.

Hungari Bulgariam non longe post suum ex Asia in Europam adventum, postquam omnem regionem, quae hodie Moldaviam, Bessarabiam, Valachiam, Transilvaniam, et Russiae partem complectitur, in potestatem redegerant, a Leone Sapiente, orientis Imperatore adversum Bulgaros anno 898, evocati, armis suis pertentarent, victorque Simeone, eorum rege, Bulgariam, ut Leo Grammaticus, scriptor aetati illi suppar perhibet, captivam fecere: a) quam septimo post anno rursus ingressi semel iterumque victis Bulgaris ingenti clade affecerunt; b) moxque anno 907. dum ex Bavarica procursione redirent, et Bulgari defectionem molirentur, memorabili praelio domitos tributum pendere coegerunt. c) Postea armis in



utramque Pannoniam conversis, Slavos Marahanos, sedibus suis eiecere; sensimque abrogata Ducum dignitate, Christianis sacris imbuti regnum Hungariae, constituta ad normam gentium europaearum monarchia, fundarunt. d).

- a) Ad tertium annum Leonis Sapientis: „Simeone vero cum Phocae copiis occupato, Turci (sic graeci scriptores illius temporis Hungaros vocant) trajecto Danubio totam Bulgariam captivam fecere.“ b) Annal. Fuldenses ad an. 896. „Bulgari cum omni festinatione — — — recurrunt, consertoque illico praelio victi sunt (ab Hungaris); iterum pari tenore recuperare intendentes, secundo caruere victoria.“ c) Sigebertus Gemblacensis in Chron. ad an. 907. „Hungari Bulgaros victos tributarios sibi faciunt.“ Similia anonymus Belae notarius c. 45. „Tunc omnes incolae terrae illius (Bulgariae) miserunt nuncios suos cum donariis multis, ut terram sibi subjugarent, et filios suos in obsides darent. Zuard et Cadusa (erant hi Hungarorum duces ab Arpado in Bulgariam missi) paci fauentes, et dona, et obsides eorum accipientes, eos, quasi suum proprium populum in pace dimiserunt.“ d) Ditionem enim usque ad Anasum fl. in Marchia Austriaca protulerunt.

## §. 24.

Dum hunc in modum reges ad stabiliendum novitium regnum curas omnes domi suae converterent, parum de exteris solliciti, Bulgari libertatem nacti, suis tandem Principibus obnoxii vivebant, donec Isaacius Angelus orientis Imp. in exitu seculi XIi jus sibi in Bulgariam a Basilio Imperante quondam in servitutem redactam, arrogaret, invitis et repugnantibus incolis, qui se adversum Graecos ita tuebantur, ut Joannicius, alio nomine Calo-Joannes, qui ab excusso Graecorum jugo tertius Bulgaris imperabat, coronam pro more illorum temporum ab Innocentio Papa III. pe-

teret, quam ut facilius obtineret, ejurato schismate Graecorum, ritus Ecclesiae romanae se velle amplecti per nuncios Romanam significavit. Facile Pontifex postulatis Joannitii assensus est, misitque ad id perficiendum Joannem Capellanum sedis apostolicae Legatum, quem per Hungariam iturum in Bulgariam Emerico regi literis suis impense commendabat. Rex legatum liberaliter acceptum usque ad confinia Hungariae deduci, sed mox, cum jam in Bulgariam transire parabat, prohiberi a transitu jussit. Inde simultas inter Emericum regem et Pontificem ob Bulgariam oborta. Quae hujus prohibitionis causa fuerit, optime ex literis Innocentii ad regem datis cognoscitur: a) „Per speciales, inquit, causas inducti dilectum filium nostrum Leonem tituli S. Crucis Presbyterum Cardinalem apostolicae sedis legatum in Bulgariam, et Blachiam per regnum tuum ad propagationem fidei christianae duximus destinandum, qui, sicut nobis suis literis intimavit, a tua regia Celsitudine ultra etiam, quam crediderit, extitit honoratus, — — dato — — ducatu, nunciis, quos in Bulgariam duxerat transmittendos — — ac muneribus elargitis non solum licentiam obtinuit trans-eundi, verum tuis nunciis praecepisti, ut eum transferrent in Bulgariam cum honore, promittens, quod tuum sibi scriptum in confinio destinaret, quod ipse apud se secretius retineret, et secundum illud ad reformationem pacis fideliter laboraret. Procedens ergo cum nunciis tuis usque ad regni terminum pervenit ad castrum, quod vocatur Kewe, ubi solo Danubio mediante regnum Hungariae, et Bulgarorum provincia separatur, multis eum cum desiderio expectantibus ex altera parte. Sed post unius horam diei nuncios ex

insperato accepit, qui — — sibi, et Episcopo Bulgaro transitum fecerunt omnino praecludi, ex parte regia proponentes, ut ad quoddam tuum praedium retroiret, quod itinere trium dierum reliquerat jam post tergatum, ibique morans Domino Bulgarorum per nuncios demandaret, quod ad quandam insulam festinus accederet in confinio constitutam, ut ibi prius de controversia, quae vertitur inter vos, plene cognosceret, et eam sine debito terminaret, alias ei transitus non pateret.“ Controversia igitur, quae regi cum Joannicio intercessit, in causa erat, quo minus Legatum in Bulgariam transire sineret, quamquam et illud haud parum illo contulerit, quod rex aegre ferret nondum sibi a Venetis, qui anno 1201. Jadram in Dalmatia everterant, satisfactum esse; nam sola pontificiae excommunicationis sententia in eos prolata damnum nequiquam reparatum erat. Cardio autem litis cum Joannicio in eo vertebatur, quod is partem Bulgariae et Serviae, quam Bela III. Emerici pater, filiae suae, cum eam Isaacio Angelo, postea ad Orientis imperium evecto, nuptui locavit, b) in dotem contulerat, vi occupasset, ut ex ejusdem Pontificis responso ad regem dato plane liquet. „Quod autem, inquit, scripsisti, quod praefatus Joannicius terram, quam Pater tuus Imperatori Graecorum dedit in dotem, detinet occupatam, et terram Serviae, tuae coronae subjectam, adjuncta sibi paganorum multitudine copiosa crudeliter devastavit, — — certissime noveris, nobis esse valde molestum; quidquid in tuam injuriam, et jacturam noscitur attentatum, et quod inde congrue satisfaciat, nos diligens studium impensuros, et operam efficacem.“ c) Diserte hoc loco terra, quam Bela filiae suae dotem

dedit, et Joannicius per vim occupaverat, a Servia distingvitur, quae alia, ut ex utriusque regni situ patet, esse non potuit, quam Bulgariae portior pars, ad quam Joannicio nullum jus fuit; d) alioqui nec Pontifex terram illam a Servia distingvisset, nec Bela id, quod suum non fuit, filiae Graecorum imperatori nupturae, nisi ridiculus videri vellet, in dotem daturus erat. Re autem vera Bulgariam, de cujus jure rex cum Joannicio litem habuit, hoc loco venire, satis declarat Emerici querela, et Pontificis responsum: „Quoniam etsi, inquit, scripseris, quod praefatus Joannicius nullius terrae de jure sit dominus, licet aliquam partem tui, et aliam regni alterius ad tempus detineat occupatam, unde miraris, quod tam manifestum inimicum tuum, te inconsulto, tam subito in regem proposuimus, coronare; secus est tamen ex aliqua parte, ut salva tui pace loquamur, cum super hoc non plene noveris veritatem. Nam antiquitus multi reges in Bulgaria successive fuerunt autoritate apostolica coronati, sicut Petrus et Samuel, et alii nonnulli post eos.“ e) Sed ignoravit Pontifex Bulgariam ante Petrum et Samuelem ab Hungaris jure armorum occupatam, et tributum redactam fuisse, (§. 23.) nec, si deinde aliqui regum Hungariae Bulgariam aliquando neglexisse videri potuerant, et Pontifices coronam Petro, Samueli aliisque miserunt, propterea juri suo derogari quidquam passi sunt, id quod Emericus rex aperte professus est, dum Joannicium „nullius terrae de jure dominum esse“ contendebat, non id profecto nec tam aperte dicturus, nisi de jure suo in id regnum certus fuisset, illudque a patre suo Bela, qui Bulgariam filiae suae dotem dederat, ad se devolutum esse

compertum haberet. Itaque perspicuum est, Bulgariam jam sub Bela III. juris hungarici fuisse, sive hanc defuncto Manuele Comneno, post recuperatam Dalmatiam, in ditionem redegit, sive jus suum inde repetebat, quod Majores sui Bulgariam armis devictam (§ 25.) tributariam fecerint. Utrumvis horum sit, Emericus jam multo ante Legati adventum jus suum prosequens, cum Bulgariae partem, quam Joannicius contra fas occupaverat, obmoto bello recepit, f) adjecto ceteris titulis regiis axiomate Bulgariae, a quo titulo Bela ejus pater, quod eam filiae dotis causa dederat, sibi abstinendum esse putavit. Quo magis Emericus, juri suo insistens, etiam post adventu Legati pontificii exercitum ex oppositu Bulgariae cis Danubium collegit, ut, si Joannicius porro reluctaretur, bellum in Bulgariam transferret, sed cum Pontifex ei non obscure minaretur, se facile impedire posse, ne ejus filius, infantiam vix egressus, coronaretur, g) inani metu a proposito destitit, et soluto exercitu, indulisit, ut Legatus in Bulgariam profectus Joannicium coronaret. h).

- a) Ex archivo Vaticano in regesto literarum apostolicarum Innocentii III. T. 2. ep. 126. b) Nicetas de Isacio Angelo: „uxore defuncta, alienigenam ducere statuit, et per Legatos Belae, Hung. regis, filiam nondum decem annis natam ambit.“ c) Apud Murator. script. rer. Ital. T. III. p. 523. d) Id Emericus in sua ad Innocentium epistola aperte, testatus est, quemadmodum liquet ex ejusdem Pontificis responso apud Murator. cit. loc. e) Ibidem. f) Belli hujus bulgarici meminit Andreas rex Emerici frater in diplomate anni 1231. his verbis: „quod cum recolendae memoriae Hemicus, frater noster, illustris rex Hung. Thomae Comiti in recompensationem suorum fidelium Servitorum, quae sibi in expeditione, quam habuit contra Bulgaros super fl. Moravam laudabiliter exhibuit, silvam quamdam — — per suum concessisset privile-

gium etc." g) Verba comminationis haec erant: quale denique reputares, si nos impedire vellemus, ne filius tuus carnalis coronari posset in regem." h) Dubr. p. 345.

### §. 25.

Andreas II., qui fratri Emerico successerat, minime se a jure suo prosequendo abduci passus est. Caeso enim anno 1207. ad Thessalonicam Calojoanne, comparato exercitu Bulgariam ingressus est. Nec inviti jam erant Pontifices, qui sero agnovere, se ludi a Bulgaris, qui non alia de causa conjunctionem cum ecclesia Latina affectabant, quam ut ab obedientia regum Hungariae se liberarent, cujus destinationis Joannes Asan, qui tertius a Calojoanne Bulgaris imperabat, manifesta indicia praebuit, dum foedus cum Joanne Vatatze Graecorum Imp. adversus Francos Constantinopolitanos inivisset. Quod in causa erat, cur Gregorius IX. Pont. Andream regem, licet Asanes filiam regis uxorem haberet, ad inferendum Bulgaris bellum exhortatus fuerit, a) et is post rem feliciter gestam a Latinis, defuncto Henrico Flandro, ad imperium Constantinopolitanum postularetur. (§. 16) Neque tamen Asanes, etiam mortuo rege Andrea, a foedere cum Vatatze inito abstrahi potuit. Hinc Pontifex non solum Archiepiscopo Strigoniensi in mandatis dederat, ut eum, nisi renunciaret foederi, pro more illius temporis excommunicationis fulminibus percelleret, b) sed Belae regi etiam author esset, ut in illum arma corriperet. c) Aegre primum ad id bellum rex persuaderi poterat, quod Balduinus Imperator Constantinop., cujus causa haec a Pontifice agi videbat, jus in Bulgariam praetenderet, tum quod ii,

in quos arma corripienda erant, sibi cognationis vinculo juncti essent: Asanes enim sororem et Vatzis filius neptem Belae regis in conjugio habebant, postquam tamen Pontifex, quod ad Balduni praetensionem in Bulgariam attinet, in se recepisset, Gallique eandem ob causam auxilio affuturi, et se cum rege conjuncturi ferebantur, occasionem confirmandi sibi in Bulgariam juris plane opportunam minime praetereundam ratus, Pontificis petitioni quidem subscripsit, d) sed memor litium, quas avus suus cum Innocentio III. Bulgariae causa habuerat, praeter alias condiciones eam praecipue in medium proposuit, ne sedes romana se in jura temporalia deinceps misceret. Conditionum summa istis verbis concepta fuit: „Petimus, ut officium legationis non alii, sed nobis, in terra Asanis committatur, ut habeamus potestatem limitandi dioeceses, distingvendi parochias, et in hoc prima institutione potestatem habeamus ibi ponendi episcopos de consilio Praelatorum, et virorum religiosorum, quia haec omnia beatae memoriae antecessori nostro S. Stephano sunt concessa, illa potissimum ratione, quia si cum Legato sedis Apostolicae partes illas ingressi fuerimus, ab universis illorum partium incolis praesumetur, quod non nobis, sed Romanae ecclesiae, eos velimus etiam in temporalibus subicere, quod ipsi tam plurimum abhorrent, ut quam plurimi, quos sine pugnae certamine possemus obtinere, usque ad mortis periculum se defendere niterentur; nobis enim, et aliis Christianis frequenter improperant, quod ecclesiae romanae servi simus.“ Haec quidem anno 1238. acta, sed postea metu Tartarorum dissipata sunt, barbaris Hungariam fere biennio integro foede devastantibus. Hoc autem pe-

riculo defunctum regem magis de reparandis Hungariae damnis, quam de Bulgaria sollicitum esse oportuit, nec prius quidquam in eos movit, quam illi durante inter se, et Ottocarum Bohemiae regem bello, Valachiam trajecto Danubio saepe infestabant, quorum proterviam Laurentius de Hedervara Banus Zevrinensis, regis jussu, in Bulgariam transgressus, insigni clade et dedecore castigavit. e) Isque postremus Belae, aliis regni sui curis impedito, in Bulgariam conatus erat. Tanto majore, studio illam complexus est ejus filius Stephanus, qui non solum vivo patre, dum Transilvaniae praeerat, Bulgariam quinquies cum exercitu partim ipse, partim per Duces domuit, f) sed post adeptum quoque solium, expugnato castro Urchovio, g) vectigalem Hungariae reddidit, h) instaurato regis Bulgariae titulo, quem successores illius constanter ceteris regiis titulis adjece- runt, i) Bulgariamque in publicis tractatibus inter sua regna numerabant, cujus luculentum exemplum in pacificatione ejusdem Stephani cum Ottocaro Bohemo ad an. 1271. inita extat „includentes, inquit rex, eidem paci — — regna nostra, videlicet Hungariam, Dalmatiam, Croatiam, Ramam, Serviam, Lodomeriam, Comaniam, Bulgariam, totumque Ducatum Sclavoniae.“ — —

- a) Du Cange Illyr. vet. et nov. p. 158. b) Exstant de hoc inter epistolas Gregorii IX. literae anni 1336. N. 186. c) Raynald. Annal. eccl. T. II. p. 189. d) Ibid. p. 188. e) Hujus ipse rex meminit in diplomate anni 1264. his verbis; „Denique cum Bulgarorum temeritas tempore guerrae inter nos et regem Bohemiae, ducem Austriae et Styriae exortae, Banatum de Zevrin hostiliter devastasset, et plerique de Baronibus nostris defensionem ipsius Banatus nollent assumere per nos etiam diligenter requisiti; saepe dictus Magister Laurentius collato sibi per nos ipso Banatu, Bulga-



rorum devicit exercitum, ablatis spoliis, et praedis, quibus iidem Bulgari fuerunt onerati; de quibus etiam quosdam in ripa Danubii suspendi fecit in patibulo, et sic ipsorum Bulgarorum protervia quiescente, ipsum Banatum ad pristinum bonum statum virtute per maxima restauratum nostrae restituit Majestati.“  
 f) Tom. 54. p. 186. g) Id Ladislaus Chonus, Stephani filius, in diplomate anni 1283. testatur his verbis: „ad universorum notitiam volumus pervenire, quod nos consideratis servitiis Gregorii Bani — — de gente Peech, quae temporibus domini Belae avi nostri karissimi, et domini Stephani patris nostri — — cum summa diligentia in omnibus expeditionibus regni nostri — — exhibuit, et impendit, quae per singula suo modo longum esset enarrare, quaedam tamen in memoriam futurorum praesentibus jussimus inscribenda: Primum videlicet, quod cum dominus rex Stephanus pater noster ipsum Gregorium Banum misisset contra Bulgaros, praeficiendo eundem Capitaneum sui exercitus, quoddam castrum *Urchov* (*Vrsow*) vocatum propriis suis viribus idem Gregorius Banus obtinuit expugnatum etc.“ Ex autographo. h) Du Cange *Illyr. vet. et nov.* p. 110. i) Tam in diplomatibus, quam sigillis regis eo ordine titulos regnorum, quo occupata erant, mos erat inserere.

### §. 26.

Manserunt deinceps Bulgari in clientela regum Hungariae, nec quidquam postea sub Ladislao Chuno, Andrea III. et Carolo Roberto, fidelitati contrarium tentaverant usque ad Ludovicum I. Caroli successorem, sub quo Strascimirus, cum ejus decessores Graecis solum arma inferre solerent, primus controversiam de suprematu domini parum felici exitu movit. Nam Ludovicus comperto, quid ille moliretur, confestim Bulgariam anno 1365. cum exercitu ingressus, Vidinum, et una cum hoc Strascimirum cepit, quem ubi pene duodecim annis in castro Gemlecho dioecesis Zagrabien-sis honesta custodia tenuisset, praestito fidelita-

tis juramento, liberum ea conditione dimisit, ut nomine Ludovici regis Bulgariae praeesset, a) constituto etiam Bano Bulgariae, qui genti facile mutabili diligenter invigilaret, cui propterea praeter Temesvarum arces quoque Sebusvár, Miháld, et Orsovam attribuit. b) Ludovico non diu superstes fuit Strascimirus, successorem post se Sismanum relinquens, cui confestim in principio aditi regni bellum cum Amurate Turcarum Sultano obortum est, quem quo minus juvare Sigismundus, Ludovici successor, in imminente periculo posset, uxor Maria, a factiosis capta, in causa fuit. Quare, ut Bulgariae, quantum poterat, consuleret, inducias cum Bajazethe, qui Amurathi successerat, pactus est. Sed ille violata pactorum fide, copias in Transalpinam mittens, Nicopolim minorem Valachorum proditione cepit, porroque grassabatur, cuius progressionibus ut modum poneret Sigismundus, comparato ex domesticis, et exteris copiis, quorum non minima pars ex Gallia fuit, c) exercitu, anno 1396. in Bulgariam movit, expugnatisque Vidino et Orckovo ad Nicopolim majorem constitit, a qua non longe Bajazethes cum exercitu aberat. Nec multo post collatis armis Turcae fugam circum spectabant, et, si Galli a fervore sibi temperassent, minime dubia victoria erat. Sed cum ipsorum duces inter se dissiderent, pugnae facies mutata est, caesique ex nostris pluri-  
mi. Sigismundus aegre periculo se, transmisso Danubio, in Valachiam subduxit, inde secundo flumine in Pontum Euxinum, tum Constantinopolim delapsus, ac per Hellespontum in Dalmatiam, et ex hac denique in Hungariam aegre eluctatus est. Sismano quid factum sit, scriptores dissentiunt: aliqui eodem praelio ad Nicopolim occisum, alii

contra captum, ejusque filium, ut vitam patri servaret, mahumetanam religionem amplexum, ac postea in variis bellis exercituum, ac provinciarum praefectura a Bajazethe donatum fuisse volunt. d) Illud tamen publica diplomatum fide certius, filium Sismani nomine Frusinum ab infelici praelio ad Sigismundum in Hungariam confugisse, ab eoque fundis, ex quibus pro dignitate viveret, in Comitatu Temesiensi donatum esse, c) cum spe, patri, si Bulgaria recuperaretur, succedendi. Sed quod regis curae tota vita, idque fere extra Hungariam, partim cum Venetis ob Dalmatiam, et cum rege Poloniae jus in Hungariam praetendente, partim cum Hussitis in Bohemia, et cum tribus Pontificibus eodem tempore cathedram Petri ambientibus, occuparentur, Bulgaria in Turcarum potestate mansit; nec prius aliquid ad eam recuperandam tentatum, quam dum Wladislaus, Alberti successor, Duce Joanne Hunyiade Bulgariam omnem usque ae Pontum Euxinum subegisset, quae sine dubio, nisi praelium ad Varnam anno 1444. infelicem exitum habuisset, facile in jus pristinum vindicari paterat. Ab hoc praelio Turcae, aucta in dies potentia, et occupata anno 1453. Constantinopoli, ditiones suas latius semper propagantes, Bulgariam quoque imperio suo adjece-re, manetque etiam hodie iis subjecta, et manum vindicem Augusti nostri implorat, populo ipso, qui jugum usurpatoris jam dudum pertaesus est, id praestolante, ut legitimo suo domino restitua-tur, non temnendum possessori cum tempore al-latura fructum, ob situm regionis mercatui oppor-tunum. Licet enim ex parte, qua Thraciam a meri-die attingit, coarctetur, tamen ab occasu, ubi Serviae contermina est, usque ad ortum, qua parte

mari Euxino clauditur, facile supra centum miliaria in longum protensa est. Accedit illud etiam commodum, quod a septentrione Danubio continente tractu alluatur, in quem, cum plerique regionis fluvii sese exonerent, horum beneficio merces in Danubium, ex hoc in mare nigrum, tum ad Crimaeam, porro quoque levibus impendiis transuehi possent. Nec deest solo, qua planum est, sua benignitas, coelum praeterea culturae ovium asiaticarum mire favens, quarum vellus ab exteris magno studio conquiritur, et bono cum lucro in alias regiones transferri solet, sunt quoque qui equos Bulgariae a pernicitate commendant, et armentorum copiam efferunt. Sed haec et ulterius, et melius Valachia et Moldavia suppeditat, in quas regibus Hungariae perinde jus postliminii competit, quod distincta commentatione exequor.

- a) Thurocz. Chron. Part. III. cap. 34. ex Joanne archidiacono de Kiköllö, Ludovici regis Secretario: „Post haec regnum Bulgariae, sacrae coronae regni Hungariae subjectum, cum magna potentia intravit, et Bodon civitatem capiens, regnum sibi subjugavit, Principem ipsius, nomine Strascimerum, qui se Imperatorem Bulgariae nominabat, capiens, et in Hungariam transmittens, per aliquot tempora in castro episcopatus Zagrabiensis Gomnech vocato, sub custodia decenter, et honeste conservatum, in Budonium, ad regendum ipsum regnum sub nomine et titulo suae Majestatis, sub certis pactis, et servitiis cum gaudio dimisit, sicut tandem etiam ipse Princeps fidelitatem et obedientiam repromissam suae Majestati, observavit.“ Item Du Cange Illyr. vet. et nov. p. 113. b) T. A. a. a. c) Thurocz. Chron. T. III. c. 8. d) Leunclav Hist. Musulm. L. 5. e) T. 16. M. S. prof.

## D o c u m e n t a

## Juris Hungariae in Bosniam, Serviam, ac Bulgariam Diplomatica.

*I. Jus Coronae Regni Hungariae in Bosniam. A. 1413.*

Nos Sigismundus — memoriae commendamus — quod fideles nostri universi et singuli, nobiles, cives, et tota communitas nostrae civitatis Spaleti, proxima praeterita disturbiorum tempora prudenter reminiscentes, per quosdam videlicet praelatos, barones, nobiles et alios quosdam regnicolas, in regnis nostris, quibus maiestate nostra in regno Bohemiae apud serenissimum principem D. Wenceslaum, eiusdem regni Bohemiae etc. Regem, fratrem nostrum carissimum, pro magnis et ingentibus ipsius D. Wenceslai fratris nostri, et nostris propriis factis et negociis expediendis, nec non reipub. et totius Christianitatis incremento et commodo constituta, cuncti iidem praelati, barones, nobiles et alii suprascripti, paternorum beneficiorum, per maiestatem nostram ipsis regia liberalitate uberius impensorum, immemores, Dei timore penitus relegato, crimen laesae Maiestatis incurrere non verentes, quemdam Ladislaum de Duratio, assertum Apuliae regem, in regna nostra Dalmatiae ac Croatiae duxerant, immo verius in ipsorum propriam perditionem eundem in regem Hungariae etc. coronando, nos de dictis regnis nostris per praedicti Ladislai inductionem intendentes abalienare; quo inducto, idem usurpata sibi quadam praetensa auctoritate, inter ceteras nostras civitates, quas in praemissis nostris Dalm.

et Croat. regnis occupaverat, nostram civitatem Spalatensem praefatam occupando, eandem Herwoyae, pro tunc nostri culminis notorio rebeli et infideli adhaerenti, dederat et donaverat, et ipsum Herwoyam eiusdem nostrae Civitatis Spaletensis creaverat in Ducem. Demum nobis a praenominato D. Wenceslao, fratre nostro carissimo, expeditis et consummatis praedictis negociis et factis, feliciter in antedicta regna nostra redeuntibus, auxilio altissimi Dei antedicto Ladislao de Duracio de regnis nostris excluso et profugato, post plurimorum temporum cursus, dum supradictus Herwoya super suis excessibus, rebellionibus, infidelitatibus, et crimine laesae Maiestatis, contra culmen nostrae Celsitudinis nequiter perpetratis, a nostra Clementi benignitate gratiam et misericordiam obtinisset, attento permaxime, quod idem Herwoya, mole senectutis et aetatis decrepitae, — — ac infocundus foret, diebus suis labentibus ad occasum; quorum consideratione ea, quae sibi per Maiestatem nostram donari contingeret brevis temporis curriculo ad nos et sacram nostram coronam revoluere posse agnovimus, et pro ea, quod idem Herwoya se ad nostri culminis servitia promte ac fideliter servituum perpetuis temporibus offerebat, sibi saepe dictam civitatem nostram Spalatensem ipsi Herwoyae ducalis dignitatis titulo, eiusdem civitatis magistratu, insigniendo; de nostrae regiae plenitudine potestatis, ac quam plura castra et possessiones nostras, ac in signum sinceræ dilectionis ipsum in compatrem nostrum assumendo, sibi pro singulari honore quoddam Clenodium, scilicet signum draconis, quod nos unacum serenissima principe D. Barbara, regina Hung. etc. contorali nostra carissima, et quam

pluribus mundi principibus, nostrorumque regno-  
 rum Baronibus et nobilibus praefectis, in signum  
 indissolubilis societatis gestare solemus, duxera-  
 mus conferendum; quia tum, dum pridem Magni-  
 ficus Zaudalius, regni nostri Bosne Vajvoda,  
 fidelis noster dilectus, vna cum aliis eiusdem  
 regni nostri Boznae, et aliorum regnorum  
 nostrorum fidelibus in regno Rasciae apud illu-  
 stem principem despotum dictae Rasciae, fidelem  
 nostrum, contra saevissimos Turcas et aliarum  
 barbaricarum saevarum nationum gentes, crucis  
 Christi persecutores, et blasphematores, qui par-  
 tes dictae Rasciae hostiliter intraverant, in no-  
 stris servitiis fuisset constitutus; idem Herwoja,  
 congregatis sibi certis complicitibus, et armorum  
 gentibus, dicti Zaudalii namque castra et quam  
 plures possessiones, contra edictum et probibi-  
 tionem nostrae Maiestatis, hostiliter invadendo,  
 expugnavit, castrorum eorundem homines, divi-  
 no et humano postposito timore, necando crude-  
 liter; et insuper malum malo accumulare volen-  
 do, per certos familiares suos cum suis litteris,  
 quae per quosdam fideles nostros apud eosdem re-  
 pertae sunt, Turcas et alias Barbarorum nationis  
 gentes, vt in subsidium suae malitiae in dictum  
 regnum nostrum Bosniae properarent, tamquam  
 nostri culminis et sacrae nostrae Coronae noto-  
 rius rebellis et infidelis manifestus, venire invi-  
 taverat, fermento suae veteris iniquitatis et mali-  
 tiae, quo pluribus praeteritis temporibus inter fi-  
 deles regnorum nostrorum praedictorum consue-  
 vit procurare guerras et discordias renovare, om-  
 nium et singulorum honorum, donorum et be-  
 neficiorum, vt puta compaternitatis, societatis et  
 plurimorum donorum praedictorum, quibus ipse

prae ceteris nostris regnicolis per Majestatem nostram clementi benignitate extiterat redimitus, et honoratus, immemor et oblitus, nos vna cum praelatis, baronibus, et regnorum nostrorum proceribus, maturo praehabito super inde tractatu et consilio, eundem Herwoyam, tanquam nostri culminis et sacrae nostrae coronae notorium rebellem, et infidelem manifestum, omnibus et singulis suis castris possessionibus, ac quibus libet suis honoribus, praesertim titulo ducalis dignitatis praenominatae civitatis Spaleti, quo titulo vsque modo fretus extitit atque functus, decrevimus fore privandum, destituendum et degradandum; immo privamus, destituimus, degradamus, vniversas et singulas litteras, super quibuscunque castris, possessionibus, villis, teloneis, et eorum pertinentiis, et honoribus, quibuscunque nominibus vocitentur, et praesertim titulo et honore praedictae ducalis dignitatis, per nostram maiestatem, vel praedecessores nostros reges, aut quoscunque alios, eidem Herwoyae datas et concessas, revocantes eas et annullantes vigore praesentium mediante: committimusque quam pluribus fidelibus nostris praelatis, baronibus, et nobilibus, vt ipsi cum valida eorum potentia insurgendo, contra saepe nominatum Herwoyam, nostri culminis notorium rebellem et infidelem manifestum, ac universos et singulos suos complices, adhaerentes, et sibi subiectos atque subditos, tam nobiles quam ignobiles, qui a praenominato Herwoya se avertere, ex servitiis et obedientia suis retrahere, ipsumque Herwoyam deserere et relinquere, et ad sinum nostrae Maiestatis, veluti ad Dominum ipsorum naturalem, redire non curarent, vel recusarent procedere, et eosdem etiam



in ore gladii, si necesse foret, ad praestandam debitae fidelitatis obedientiam compellere, universaque castra, possessiones, resque et bona, apud manus eiusdem Herwoÿae, et suorum adhaerentium, complicum, subiectorum et subditorum, proditorum nostrorum, rebellium, infidelium, occupare et auferre ac eidem Maiestati nostrae infiscare debeant, et teneantur. Id circo praenominati nobiles, cives et tota communitas Spaleti saepe dictae, praemissam rebellionem et infidelitatem saepe dicti Hervoÿae prudenter et solerter animadvertentes, praemissorumque nostrorum decretorum et edictorum mandata merito formidanda agnoscentes, qui considerantes etiam, ut ipsi semper et ab antiquo nostris et olim serenissimi Principis D. Ludovici Regis, beatae recordationis, patris et soceri nostri carissimi, ac etiam aliorum dominorum regum, nostrorum praedecessorum, temporibus fidele et incorruptum membrum sacrae coronae regni Hungariae, inviolabilis fidelitatis constantia, absque ullius infidelitatis reprehensione extiterint, potius ad sinum nostrae Maiestatis convolare, et debitam, prout tenentur, nobis et sacrae coronae nostrae praestare obedientiam volentes, quam alicujus rehellionis contaminari menda, aut infidelitatis nota qualibet denigrari; iidem nobiles, cives et tota communitas se et dictam nostram civitatem Spaleti nostri culminis et sacri nostri diadematis ditioni, tanquam eorum naturali dominio, prout de iure debebant et tenebantur, subiecerunt in perpetuae fidelitatis constantia apud nos et nostram sacram regni Hungariae coronam iugiter permansuri. Ut autem saepe nominata civitas Spalatensis, nobiles eius, et tota communitas pro huiusmodi sua fidelitate et obedientia, qui-

bus edictis et mandatis nostrae maiestatis absque cuiusvis renitentiae rebellionem parendo, ad gremium nostrae Maiestatis et sacrae nostrae coronae redire et reverti solliciti et prompti fuerunt, se sentiant aliqualem remunerationem nostrae regiae liberalitatis reportare; ipsos nobiles, cives et totam communitatem et civitatem nostram Spalatensem in universis et singulis suis pertinentiis, nobis et sacrae nostri regni Hungariae coronae, nostrisque legitimis successoribus, regni Hungariae praedicti regibus, tamquam fidele et principale membrum, resumimus, restauramus, et approbamus, et de novo incorporamus; titulum vero ducalis dignitatis, quam praenominatus Herwoya, vel quicumque alter, ad suam laudem et singularis honoris titulum a culmine nostro, vel a praefato Ladislao de Duratio, seu a quocumque alio rege vel principe impetrasse, et adquisivisse cognoscitur, ab eadem civitate Spaleti removemus, delemus, sopimus, et eidem Hervoyae et suis haeredibus et posteris, et universis et singulis, et quibuscumque aliis, saepe dictam civitatem Spaletum impetere volentibus, perpetuum silentium, vigore praesentium imponentes; nihilominus committentes severissime, quod nullus praedictorum nobilium, civium, aut quorumcumque aliorum nostrorum fidelium saepe fatum Hervoyam aut suos heredes amplius et de cetero ducem praenominatae nostrae civitatis Spaletensis, absque indignatione maiestatis nostrae gravissima, quam contrarium facientem eo facto volumus incurrere, audeat nominare, aut praesumat quoquo modo appellare. Quam quidem civitatem nostram Spaletensem cum universis et singulis suis pertinentiis praedictis apud nos et sacram regni Hungariae

coronam volumus permanere, immo assumimus, promittentes, quod eandem nulli mundi hominum pro aliquo servitio, seu pecunia, vel thesauro, etiam quantumcunque magno vel pretioso, a nobis et a dicta nostri regni corona, quousque nobis vita concessa fuerit, volumus alienare; statuentes et decernentes hoc praesenti nostro regio decreto, vt quicumque nostrorum successorum regum praefatam nostram civitatem Spalatensem a praedicti regni Hungariae sacra corona pro aliqua mundi pecunia vel thesauro, aut pro alicuius hominis amicitia seu servitio aliquo, affuturo tempore alienare praesumserit, vel alienare attentaverit, anathemati sit subiectus; et insuper omnipotentis Dei et gloriosissimae Virginis, genitricis suae, nec non beatorum Ladislai et Stephani regum indignationem eo facto se noverit incursum. Datum in Pullano, in festo B. Petri ad vincula, anno dom. MCDXIII. regnorum nostrorum anno Hung. etc. XXVII. Romani vero tertio.“

Apud Lucium L. V. cap. V. p. 432.

*II. Jus Regni Hungariae in regnum Bosniae. A. 1462.*

Nunc primum redditae sunt nobis litterae Sanctitatis vestrae XI. kal. Februarii datae, ex quibus intelleximus, quemadmodum S. V. non quidem immemor, quantorum malorum reges Bosnae, pater quondam, et qui nunc super est, filius, huic regno Hungariae et universo nomini Christiano, caussa exstiterint; verum certis et idoneis mota rationibus, eosdem respicientes, ecclesiae gremio admisisset. Propterea nos etiam, quasi ad exemplum sui, monet et hortatur, vt praefatum regem, ad nos humiliter revertentem, susciperemus, ne for-

te, habita repulsa, desperatione adductus, iterum se ad hostem fidei transferat, et sint novissima hominis peiora prioribus. Equidem Beatissime Pater, sacrosanctae apostolicae sedis monita et cohortationes, more praedecessorum nostrorum, merito semper plurimi fecimus, et facere proponimus in futurum; cuius salutifera consilia non minus habent providentiae, quam auctoritatis; et ab optimae mentis radice profecta nunquam nisi ad finem communis boni diriguntur. Accedit etiam quod et nobis ex ipso regali officio incumbit, non denegare supplicantibus veniam, et ad nos redeuntibus clementiae sinum aperire, atque ut acceptorum beneficiorum tenaciter meminisse, ita iniuriarum facile oblivisci. Verum in rebus arduissimis nequaquam abutendum est misericordia, sed austeritate temperanda mansuetudo: ne nimis prompta lenitas securitatem provocet delinquendi. Memoria quidem hominum nemo tantum in nos et reliquos Christianos facinus admisit, quantum rex Bosniae: quum esset subditus regum Hungariae, a quibus omne ius regni habet, non ita magna necessitate compulsus, descivit ad Turcos, et inimicos crucis tributi sui pensione reddidit fortiores. Nec eo contentus, simulavit reconciliationem, et quum aliter non posset, foederibus sanctis ac fide data, dominos et benefactores suos ita circumvenit, ut, quum propria spondisset auxilia, etiam id, quod a nobis acceperat, tradidit adversariis (Szendravian). Ex quo quantum terrae desolatum, quot fideles animae in servitutem profanae gentis abductae sint, enarrari nec potest: quia est immensum, nec debet; quia notorium. Porro tantae sibi perfidiae conscius, veniam ab his, quos offenderat, vel petere erubuit,

vel impetrare desperavit. Sed pro voto nactus Apostolicam sedem, ad indulgendum naturaliter pronam, et utpote alieni vulneris dolores minus sentientem, et propter loci distantiam ad receptionem facilem, insinuatim oblique blanditiis, ita delinivit pie credulum iudicem, ut unde poenam merebatur, inde obtinuerit gratiam, ignorantibus vel forte et invitis his, quorum maxime intererat. Nam, ut ex litteris V. S. plane deprehendimus, impensa est regibus Bosnae, patri prius, nunc etiam filio, ab apostolica sede tanti criminis absolutio. Nihil dicimus, quin hoc fieri potuerit, quin sufficientibus ex caussis et rectissima intentione factum sit. Id saltem voluissemus, quum in talibus poenitere non sit satis; et peccati remissio exigat aliquam ablati restitutionem; ut cum absolute in iuncta foret et satisfactio, cuius iam iniungendae minor oportunitas est. Quum recenti facinore mordebatur aestuans conscientia; quum sibi ex nostra et omnium christianorum iustissima indignatione perniciem imminere formidabat; quum denique Turcis prodicionem quidem suam gratam, se vero proditorem invisum esse, sentiebat; et non minus diffidebat iis, quibus utiliter faverat sceleratus, quam iis, quos laeserat; tunc receptus omnia imperata fecisset ac totis viribus illatam iniuriam compensare studuisset. Nunc, quum habet, tota quod mente petivit, et insuper favori sibi videt, satis se, nobis praestare credit, si non rursus Turcus fiat. Absit, ut V. S. nisi cum summa ratione quicquam agat, et omnino aliter iudicare, nefarium est. Sed animadvertat, quaeso, numquid ad bonum finem facta contrarios forte alibi parturiant effectus. Nos pridem supplicanti ideo duriores animum ostendimus, nec volumus

in parcendo esse praecipites, et laxandas in tempore clementiae habenas paulisper suppressimus, ut illum inter alia etiam ad aliquam satisfactionem rependendam impelleremus; etiam tractabiliorem se exhibebat, jam pro emandatione culpae subsidia pollicebatur; jam castella sua et arces, praesertim Turcis finitimas, in nostras se manus dediturum offerebat, unde e proximo paria hostibus damna inferrentur. At ubi vidit interim non modo indultum sibi a sede Apostolica, verum etiam speciales ad se legatos mitti, et se per eos non sine gravi et evidenti regum Hungariae praeiudicio coronari; et ita in regno confirmari, ac novorum sibi episcopatum foundationes permitti, et terras suas ballistariorum praesidiis muniri; factus est negligentior, et non solum pollicita revocat, sed etiam postulata detrectat; ut aprime verendum sit, ne palam rebellandi spiritu assumpto caput suum contumax membrum non recognoscat. Qua ex re quid tandem sequi posset, non est occultum: discordiae scilicet fomes et seminarium. Nam, si pro viribus nostris utendum erit iudice bello arma tenenti, qui iusta negat, fortasse omnia dabit. Rogamus igitur S. V. obnixè, ut indulgentia sua confidentiam hominis non amplius alat, ac si quae legati extra mandatum sunt ausi, jubeat esse irrita; et generaliter in his, quae juris nostri esse videbuntur, remittat eum ad nos, ne contra eos, a quibus expectare omnia debet, cristas erigens, paratas alio manus in sui vertat vindictam. Ceterum quoquo modo res istae hactenus processerint; nos tamen nihilominus V. S. monitis et exhortationibus acquievimus, ac regnum (fors regem) ipsum per oratores suos nunc praesentes deprecantem benigne suscepimus; ita tamen, ut deinceps debitum

suum fidelius exsequatur, et commissa corrigat ulterius obsequendo. Quod si hactenus fecisset, fecisset tam nobis, quam sibi salubrius. Et nunc si in obsequio persistet, habebit benevolentiae nostrae dignos favores. Ad hoc eum etiam V. B. inducere dignetur, quam omnipotens diu ac feliciter servet incolumem regimini Ecclesiae suae sanctae. Datum Budae. Anno MLCCCLXII.“

Epist. Mathiae Coruini P. I. epist. XXVI. p. 93.

*Jus Regni Hungariae in Bosniam seu Ramam, ac Ducatum S. Sabae, seu Heczegowinam, A. 1462.*

Mathias, Dei gratia Rex Hungariae etc. Cum in nostrae mentis cogitatione pensamus — grata fidelium obsequiorum merita — fidelis nostri — spectabilis et Magnifici Ladislai Vayvodae, filii fidelis nostri illustris Stephani, Ducis S. Sabae, quibus ipse — — se ipsum nobis gratum reddidit, — — dignum arbitramur, ut — — sibi digna pro meritis suis praemia rependamus. Nam ut de ceteris fidei — — — obsequiis per ipsum Ladislaum Wayvodam nobis et sacrae coronae regni nostri constanter exhibitis — — ad praesens taceamus, cum in aestate proxime praeterita Turcorum Imperator — — cum maxima paganorum multitudine hoc regnum nostrum Boznac hostiliter invadens, interfecto condam fideli nostro, illustri Stephano rege, regnum ipsius praedictum, et incolas eius, in miserabilem redegisset servitutem; ipse Ladislaus Waywoda — — se ipsum patenter et manifesto ipsi Imperatori Turcorum hostem pro viribus constituit, ac contra ipsius potentiam pugnans, et si plurimam suorum hominum stragem et dampna non modica suscep-

rit, ab illius tamen potestate castra quaedam et terrarum dominia eripiens, tandem non parcens laboribus, et expensis penes nostram Maiestatem, quum pro recuperatione dicti regni nostri Boz-nae cum exercitu properarem, properavit cum gentibus suis et tam consilio, quam facto egit omnia ea, quae fidelem decuit servitorem, promisitque ab inceptis fidei et fidelitatis obsequiis atque ab obedientia et reverentia maiestatis, et sacrosanctae coronae regni nostri Hungariae, nullo unquam tempore, vita sibi comite, discedere; sed in omnem eventum constanter perseverare; promisit etiam, quod castrum Buxsovetz simul cum Nezethva — — ad manus nostras regias, vel hominum nostrorum, quos ad id deputaverimus, dabit et assignabit, quodque dum et quando nos in hoc regnum nostrum Boz-nae personaliter cum exercitu venerimus, vel aliquem ex Baronibus nostris Capitaneum miserimus, ex tunc etiam ipse Ladislaus Wayvoda ad bellum penes nostram Maiestatem, aut praedictum Baronem Capitaneum, exigente necessitate cum gentibus suis personaliter veniet et fideliter exercituabit. Si vero nos ad dictum regnum nostrum Boz-nae exercitum nostrum sub conductu alicuius Capitanei, qui non esset Baro, miserimus, tunc etiam ipse Ladislaus Wayvoda exercitum suum mittere debet. Cum autem ad alias partes exercituare stutuerimus, et tunc idem Ladislaus Wayvoda contra quoscunque nostros et regni nostri aemulos, more aliorum Baronum, exercituare, et constanter adhaerere, et adesse, et iuvare promisit, dempto duntaxat Ducali Dominio Venetorum, cui se ipsum foedere societatis, salva nostrae Maiestatis obedientia, ligatum dixit; ac castra et castella, civita-



tes, oppida et dominia, quae possidet et in futurum possidebit, nunquam ab obedientia nostra et sacrae coronae nostrae alienare promisit, ac spondit. Nos igitur, qui cunctorum fidelium nostrorum actus et merita discernimus, — — intuitu praemissorum volentes eundem Ladislaum Wayvodam et Comitem Balsam filium suum, plena et omnimoda in nostris obsequiis securitate et libertate, instar aliorum Baronum regni nostri Hungariae, gaudere, et perfrui, eosdem ac homines et Nobiles eorum — — litteris nostris patentibus affidamus, assecuramus, et certificamus, ipsisque plenam securitatem in eo damus, et concedimus, ut ipsi Ladislaus Wayvoda, et Comes Balsa, filius eius, semper et omni tempore cum exercitu, et sine exercitu, quocunque in loco, sive in regno Hungariae, sive in regno Boznae, vel alio quovis loco, et regione habeant securam et liberam potestatem veniendi ad curiam nostram regiam et ad nos ac Praelatos Barones, et aulae nostrae ministros, ibique standi, morandi, et recedendi — — pro lubitu suo. — — Insuper de gratia speciali eundem Ladislaum Wayvodam, et Comitem Balsam, filium eius suosque heredes — — universos omnibus castris, castellis, civitatibus oppidis, — — quae hucusque rite habuerunt, — — conservare volentes, ipsos in eisdem de plenitudine regiae potestatis in perpetuum confirmamus. — — Praetera Castra Vezcla Straza — — — in Comitatu de Usthopye, et cum toto Usthopye, castrum Prozor in Rama et cum tota Rama, — — et generaliter quarumlibet utilitatum et pertinentiarum suarum de manibus Turcorum nuper per praefatum Ladislaum Wayvodam recuperatorum — — quas olim reges Boznae capere et ha-

bere consveverunt, — — memorato Ladislao et filio eius comiti Balsa, ipsorumque heredibus — — dedimus, donavimus et concessimus, — — ita quod haec omnia eo iure ac modo habeant, et possideant, quo olim reges Boznae possidere consveverunt. — — Datum in Civitate nostra Jayeza in festo Beati Nicolai Episcopi et Confessoris Anno Domini MCDLXIII.

Ex archivo Camerali.

*IV. Jura S. Regni Hungariae Coronae in Bosniae seu Ramae regnum. A. 1469.*

Mathias, Dei gratia, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque rex omnibus Christi fidelibus, praesentibus et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod nostrae Maiestatis veniens in praesentiam Magnus Comes Tomco Marnavich de Zuonik, eiusdem loci in regno nostro Bosniae perpetuus Comes, et Dominus in Voyniza, regnique Russiae Sarosta, nobis dolenter exposuit, quod cum Nos pridem pro fidelium servitiorum gratuitis meritis per eundem et Jurkadinum, eius filium, nobis et sacrae coronae regni Hungariae, sub locorum et temporum varietate, fideliter et constanter exhibitis, et impensis, castrum Camengrad, cum suo territorio, in finibus regnorum Croatiae, Bosniaeque existens, cum omnibus eiusdem castris, villis, terris, locis, sessionibus, utilitatibus, et pertinentiis, terrisque arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, foenetis, silvis, nemoribus, Montibus, vallibus, collibus, vineis,

et earum promontorijs, cuiuscunque metalli fodi-  
nis, aquis, fluviis, pistrinis, piscaturis, aquarum-  
que decursibus, molendinis, et molendinorum lo-  
cis, et generaliter quarumlibet utilitatum et per-  
tinentiarum integritatibus, quovis nominis voca-  
bulo vocitatis, sub suis veris metis et antiquis li-  
mitibus, alijsque iuribus, et praecementijs, at-  
que privilegijs, Domini eiusdem castri, ac eius  
districtus, prout fusius continetur in litteris no-  
stris, sub anno Domini MCDLXIV. mense No-  
vembri, Budae cum sigillo pendenti, quo ante  
coronationem utebamur, datis, quas hic pro ex-  
pressis haberi volumus, ipsi, suisque carnalibus  
haeredibus, successoribus et posteritatibus vniver-  
sis, in perpetuum dederimus, donaverimus, et  
contulerimus; nihilominus tamen Magnus Joanes  
Thuz de Lak, regni nostri Sclavoniae Ba-  
nus, eundem Comitem Tomco, in praedicti castri  
quieta possessione, quibusdam fisci nostri, et sui  
Banatus iuribus perturbare voluerit et velit. Idcir-  
co nos, qui nullius fisci nostri, Banatusve iura  
quietae possessioni donationis nostrae praedi-  
ctae, quovis colore, sive praetextu, obstare in-  
tendimus, neque volumus; antelatas donationis  
nostrae privilegiales litteras in suo robore appro-  
bamus, perpetuo valituras et ratificamus, easque  
et in eis omnia contenta, non obstante decreto in  
Albaregali, tempore coronationis nostrae edito,  
in quo declaratur, quod, infra lapsum unius inte-  
gri anni, omnes litterae serenissimi quondam D.  
Ladislai, regis Hungariae, immediate Praedeces-  
soris nostri, et nostrae ante coronationem nostram  
datae confirmari debuissent, alioquin viribus ca-  
riturae relinquerentur; ex certa nostra scientia,  
et de potestate nostra regia pro praedicto Comite

Tomco, Rakadino, eius filio, eiusque hereditatibus et posteritatibus universis, innovantes perpetuo valituras confirmamus, supplentes omnem defectum, siquis propter lapsum unius anni, aliquove alio praetextu unquam obiici posset; quin imo volumus, et autoritate nostra regia decernimus, ut praesens privilegium simul cum praedicta donatione in suo vigore permaneat ac perduret; perinde ac si infra lapsum unius anni ad confirmationem praesentatae fuissent. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes concessimus litteras privilegiales pendentis autentici sigilli nostri dupplicis munitione roboratas. Datum per manus reverendissimi in Christo Patris D. Stephani Cardinalis, Coloczen. et Bachien. Ecclesiarum A. Episcopi, locique eiusdem Coloczensis Comitum perpetui, aulae nostrae supremi Cancellarii, fidelis nostri dilecti. Anno Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, kalendas Martij, regni nostri anno duodecimo, coronationis vero quinto. Ven. in Christo PP. DD. Joanne Strigoniensi, eodem Stephano Coloczen. Archiepis. Joanne Varadiensi postulato, Agrien. et Transilvan. sede vacante, Osvaldo Zagrabien. Joanne Quinqueecclesien. Alberto Vesprimien. Demetrio Jaurien. Vincentio Vacien. Joanne Chanadien. Thoma Nitrien. Benedicto electo et confirmato Bosnen. Nicolao de Bathor electo Sirmien. Nicolao Tinninien. Segniensi sede vacante, et Nicolao Modrusien. ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item Magnificis Michaële Ország, regni nostri Hungariae praedicti Palatino, Joanne Pongrácz de Dengeleg, et Nicolao Csupor de Monoszlo Wajvodis Transilvanis, Comite Ladislao de Palocz Iudice Curiae nostrae, eo-

dem Joanne Thuuz de Lak regni nostri Sclauoniae, Nicolao de Ujlak, ac Mathia de Maroth Machovien. Banis, honoribus Banatum Dalmatiae et Croatiae regnorum nostrorum, nec non Severinen. vacant. Joanne de Rozgon Tavernicorum, annotato Joanne Thuuz de Lak, et Friderico Lamberger Janitorum, Bartholomaeo de Beltek Princernarum, Nicolao de Hedervára Dapiferorum, Nicolao de Zeech Agazonum nostrorum regalium Magistris, et Nicolao de AlsovLindva, Comite Poseniensi, aliisque compluribus regni nostri comitatus tenentibus et honores.“

E transunto Capituli Spalaten. A. 1621. emanato.

*V. Jus Hungariae in Serviam et Bosniam. A. 1448—1459.*

Nos Mathias Dei gratia rex Ungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes omnibus, quibuscunque expedit, praesentibus et futuris, qualiter nostrae Maiestatis veniens in praesentiam Magnificus Vir, Comes Tomco Marnavich de Zuonik, Starosta regni Rasciae, Dominus in Voyniza, etc. ad praesens vero summus Wayvoda, nomine Serenissimi Stephani Thomae, regis Bosnae, in provinciis Rassiae, Podriniae, Soliae, Maritimae etc. Generalisque Vicarius, et Gubernator, fratris filius q. Magnifici Comitum Georgii Nissensis, exhibuit nobis membranam scriptam cum cereo sigillo pendenti felicissimae memoriae Genitoris nostri Joannis etc. tenoris infrascripti; petens eam auctoritate nostra regia confirmari, approbari, et convalidari, videlicet:

Nos Joannes de Hunniad, Wajvoda Transilvaniae, nomine et in persona Serenissimi Principis, et D. N. D. Ladislai, Dei gratia, Hungariae

Bohemiae, Dalmatiae, Croatiaeque etc. regis, Austriae, et Stiriae Ducis, etc. nec non Marchionis Moraviae, etc. in praedictis regnis Hungariae, Dalmatiae, Croatiaeque Gubernator constitutus, memoriae mandamus omnibus et singulis praesentibus et futuris, perpetuis temporibus: quod cum post pugnam in campo Kosovo, cum Amurate Turcarum Sultano, commissam, in reditu nostro ad partes Hungariae, opere Georgii Despoti Principis Serviae, immemoris immortalium beneficiorum nostrorum eidem collatorum, captivati fuimus, studio tamen et singulari virtute potentis viri Comitis Georgii Marnavich, Nissensis Comitis, perpetui de Zuonik, Starostaeque regni Russiae, Domini in Voyniza, carissimi consanguinei, qui suis ex ditionibus collecta valida militum manu, ad Zenderoviam urbem, in qua detinebamur, advolando, et magnum terrorem dicto Principi Georgio incutiendo, nos ex eius manibus erepti et liberati regnis nostrae gubernationi commissis, magna virtute et gloria sua restituti fuimus. Cumque praeterea grata recordatione in memoriam nobis redeat, quam fidelem nobis et serenissimo tunc temporis Vladislao, Ungariae regi, Domino nostro, optimae memoriae, operam navaverit, quando superioribus annis, ipsius consilio et auxilio, Bulgarico bello, Turcas ingenti strage primo ad Moravam fluvium, deinde ad Cunovizam praesente d. Rege profligavimus, capto ipso exercitus Turcici Duce Hasambego, repetentes etiam ingentia merita comitis Goÿko, patris ejusdem Georgii, tam erga nos, quam regnum Hungariae, et praesertim olim serenissimum regem nostrum, et Augustum Imperatorem Sigismundum, felicissimae semper memoriae; Hinc qui tantorum beneficiorum memores, ut perpetuo es-

se debemus, ita ex parte debita gratitudine respondere intendimus, et volumus, hac nostra pagina, semper et ubique virtutem ipsius testatura, damus, et perpetua donatione, irrevocabiliter transferendo, donamus omnia illa oppida, arces, pagos, et territoria, quae per dictum Serenissimum regem Wladislaum nobis pridem donata fuerunt in Comitatus Lucieuo, et Breniceuo, praesertim vero oppida cum suis arcibus Jagodnam, Raxgnum, Lomnizam, Strazam, Constantinoyum, Postranam, Bukouskum, Guozredenizam, cum ipsis primariis locis Lucieuo, Branicevo, aliisque oppidis interioribus, villis, pagis, mansionibus, eorumque omnibus pertinentiis, montibus, pratis, silvis, fluminibus, eorumque decursibus, et promontoriis, a ripa Moravae ad Danubium, indeque ad terras Domini urbis Nissensis, antiquissimi Patrimonii familiae suae Marnavich, ad cuius dispositionem, liberumque dominium, omnem auctoritatem, iurisdictionem in eisdem locis omnibus et singulis, a dicto rege nobis datam, et donatam perpetuo transferimus, sine ulla conditione, limitationeque, eundemque Comitem, loco et in persona nostra, sicuti posteritatem eius, in perpetuam possessionem dictorum locorum introducimus, et introductum manu tenemus. Datae Szegedini. Anno Domini Millesimo quadringentesimo, quadragesimo octavo, die vigesimo Decemb.

Nos itaque petitione dicti Comitis audita, et admissa, praefatas litteras Genitoris nostri nullibi vitiatas, vel suspectas, cum omnibus contentis clausulis, et articulis acceptamus, approbamus et ratificamus pro eodem comite, ipsiusque heredibus ac posteritatibus universis in perpetuum, praesentibus nostris litteris secreto sigillo nostro robo-

ratis. Datum Budae in festo S. Joannis Evangelistae. Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono.“

Sigillum unum pendens ex filo sericeo viridi, nigroque intorto. In ipso vero sigillo quadripartito, in superiori parte dextera, quatuor flumina Hungarica, in sinistra, Crux duplicata, in inferiori parte dextera, tria capita leonina coronata, in sinistra Leo erectus, in medio vero quadraturae avis corvo similis, anulum rostro gerens, orbiculari circulo nomina regis, et regnorum in cera expressa. — Similes confirmatorias pro filio Jurkadini Marnavich edidit etiam Michael Szilágyi regni Hungariae Gubernator: Datum Pestini vigesima die congregationis nostrae Anno 1458; tum Mathias Corvinus A. 1459. sub eodem sigillo. Cf. Kerchelich. Not. prael. p. 273. 280. sqq.

*VI Jus Sacrae Regni Hungariae Coronae in Rasciam sive Serviam. A. 1426.*

Nos Sigismundus Rex etc. Memoriae commendamus tenore presentium etc. Quod, quia fidelis noster Illustris Stephanus Despotus Rasciae prudenter attendens, et in acie sue considerationis diligenter revoluens ipsum regnum Rasciae cum omnibus iuribus et pertinentiis suis Nobis et Sacro nostro diademati, ac dicto regno nostro Hungariae, semper et ab antiquo subiectum fuisse, et esse, ac ad ius et proprietatem nostre Majestatis, sacraeque Corone, et regni nostri predictorum, nullo medio spectasse et pertinuisse, ac spectare et pertinere etiam de presenti; ac cupiens, ut ipsum regnum Rasciae temporum in processu ad manus non deveniat alienas, per universos et quoslibet suos Barones Majestati nostre nec non Prelatis ac Baronibus et Proceribus ipsius regni nostri Hungariae de fidelitate et obedientia no-



bis et sacrae nostre Corone, successoribusque nostris regibus Hungariae, nec non Prelatis, Baronibus, et Proceribus regni nostri predicti, ac eodem regno nostro, per ipsos in perpetuum observanda, juramentum prestare fecit fidelitatis; insuper fidelem nostrum, Magnificum Georgium Wlk, filii Brank, nepotem ut puta suum, in coëtum dictorum Baronum ejusdem regni nostri Hungariae aggregari instanti prece a nostra obtinuit Majestate. Pro eo Nos tum premissorum consideratione, tum vero recensitis et diligenter premeditatis fidelibus et fidelium obsequiorum eximiis, attollendisque meritis et sinceris complacentiis, ipsius Stephani Despoti, quibus idem in cunctis nostris et predicti regni nostri arduis expeditionibus, prosperis scilicet et adversis, res et personam cunctaque sua et suorum bona ad laudem et honorem nostre sublimitatis fortune casibus exponens, summa constantia pervigilique cura, et sollicitudine indefessa, sub diversitate temporum et locorum se nostre claritatis obtutibus reddidit gratum pariter et acceptum, nec minus etiam petitionibus ipsius Stephani Despoti nobis uti superius insinuatam oblatis, delectationique nostre, quam in regimine et gubernatione ejusdem regni Rasciae habere possemus, commodum et utilitatem ipsius Stephani Despoti proponendo, ac volentes, ex singulari Majestatis nostre benevolentia, eidem Stephano Despoto in ipso regno Rascie de suo sanguine facere successorem, animo deliberato, et ex certa scientia Majestatis nostre, Prelatorumque et Baronum nostrorum ad id accedente consilio permatturo, eundem Georgium Wlk, et suos masculinos heredes, legitime per eum procreatos, ad dictum regnum Rasciae in veros et legitimos eius-

dem Stephani Despoti instituimus successores, et praeficimus in haeredes, eisdemque Georgio, et suis masculinis haeredibus legitimis, casu quo memoratum Despotum absque heredibus masculini sexus hinc migrare contigerit, iam dictum regnum Rascie, omniaque et singula iura et iurisdictiones eiusdem, demptis, exemptis et penitus exclusis castro Thÿsnicza, et pertinentiis ejusdem in tenetis Ozach habitis, item castro Zakoll, in contrata Polane habito, in qua scilicet contrata quondam Dominus Hervoÿa castra Brodor et Zomved fecit edificare; item terris et tenetis condam Dragyou et Halap penes predictum castrum Zakoll habitis, per defectum seminis eorum ad Majestatem nostram regiam devolutis, item castro Macho vocato, et suis pertinentiis, unde Banatus Machoviensis denominatur. Item terris et tenetis quondam Ladislai, filii Chaztha, similiter per defectum seminis eiusdem ad Majestatem nostram regiam devolutis, item districtu Radro vocato, penes Arbna existente; item contracta, seu districtu Neprÿchov vocato, item districtu Ligh vocato, juxta et penes eum districtum Neprÿchovo existente, item districtu Rabas appellato, item districtu Kolbubara appellato, item castro Bellaztena appellato cum suis pertinentiis universis, item districtu Thamlama Welcke vocato, item castro Nadoralben. cum suis pertinentiis universis; item castro Galambocz appellato cum suis pertinentiis universis, aliis etiam castris, provincijs, terris, civitatibus, oppidis, item villis, que per Serenissimum principem, Dominum Ludovicum regem Hungariae, socerum nostrum charisimum felicitis reminiscantiae, ac per alios etiam in tempore ad hoc regnum nostrum Hungariae tenta forent et possessa. Que omnia et sin-

gula cum omni iure et iurisdictione prenominato Stephano Despoto absque heredibus sexus masculini, quod absit, ab hoc seculo migrante, pro nobis et pro corona et regno nostro Hungarie predicto duximus reseruanda et reseruamus in effectum. De gratia speciali, prout digne possumus, valemus ex nunc prout extunc et extunc prout exnunc dedimus, donauimus et contulimus. Imo damus, donamus et pleno iure conferimus eo modo, quo Baronibus regni nostri Hungarie donationes facere consueuimus, per ipsos et suos haeredes praenominatos tenend. possidend. ita videlicet quod idem Georgius, filius Wlk, et heredes sui predicti nobis et sacro nostro regio, diademati, nostrisque successoribus regibus Hungarie fideles semper et obediens esse, mandatisque nostris et eorum successorum nostrorum in cunctis obedire, et Maiestatem et Curias nostras regias, successorumque nostrorum eorum adinstar ceterorum Baronum ipsius regni Hungariae nostri personaliter visitare, nec non ipse Georgius consiliis interesse debeant et teneantur. Volumus insuper, quod dum et quando imminente necessitate Maiestas nostra aut successores nostri predictum Georgium Wlk, aut suos heredes prenotatos ad hoc requisierint, extunc ipse vel ipsi, et eorum quilibet in partibus sibi eorum exigentibus nobis et corone ac regno nostris toties quoties necesse et oportunum fuerit, semper et ubique fideles exhibeant famulatus, eo specificie declarato, quod in casum, quo et ipsum Georgium, filium Wlk sine heredibus masculinis decedere contingat, ex tunc omnia pretacta per nostram Maiestatem eidem data et collata iterum ad nostram Maiestatem, coronamque et regnum nostros predictos integraliter redundant, et devol-

vantur, harum nostrarum, quibus secretum sigillum est appressum, vigore et patrocinio literarum mediante, quas dum nobis in specie representate fuerint, in formam nostri privilegii redigi faciemus. Datum in oppido nostro Thata. Anno Domini MCDXXVI-o. L. S.

E diplomatario Fausti Verancii.

*VII. Jus Sacrae Regni Hungariae Coronae in Rasciam et Albaniam. A. 1439.*

Nos Albertus, Dei gratia, Rom. Imp. semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, etc. Rex — — Sane inter alios nostros fideles, quorum servitia tum ex sui indigentia, tum etiam spontanea oblatione nos delectant, ad fidelem nostrum, sincere dilectum, illustrem principem, Georgium Despotum Rasciae et Albaniae dominum, tanquam singularem nostrum pro defensione hujus regni cooperatorem, intuitum nostrae benivolentiae dirigentes, quamvis ille zelus intemeratae fidei, ac servitorum multipartium magnitudo, operumque gesta magna, quibus ipse apud condam excellentissimum recolendae memoriae principem, Dominum Sigismundum, Rom. Imp. semper Augustum, et Hungariae, Bohemiae etc. Regem, patrem, socerumque et praedecessorem nostrum charissimum, prout hoc ipsum honorum et donorum magnitudo, quibus eundem vita comite habunde prosecutus est, manifeste profitentur, successivo cremento claruisse noscitur, sufficiens nostro arbitrio habeatur, ad inducendum nos, et provocandum, personam ipsius omni favore gratiarum prosequendi; multo magis tamen et summe cordialius ad id ex intimo adtrahimur,

dum aperte intuemur et conspiciamus, praeteritis eius actibus magnificis nova gesta pari laude digna succedere, et priorem famulandi sollicitudinem moderna complacendi promptitudine decorari. Nam inter alia eius fidelitatis indicia, quibus a tempore electionis et coronationis nostrarum in regem Hungariae, variis modis indissolubili copula, se nobis reddendo obnoxium, et plurima nocumenta, atque turbationum multiplicium genera a nostris et fidei catholicae diris impugnatoribus sibi illata perferendo, se, nec immerito, nostra dilectione effecit dignum. Illud unum, velut futurorum primitiale, ut plurimum nostro inhaeret recordio, ut puta, quod licet idem solempnitati electionis et coronationis nostrarum in regem Hungariae habitarum tum propter earundem tunc utilibus ex causis factam accelerationem, tum etenim (etiam) praetextu assiduae occupationis suae circa patriae, et dominiorum suorum defensionem, quae tanquam antefatis nostris, et fidei orthodoxae aemulis continua vicinitate propingua fortiora et magis infesta impugnationum iacula dietim sortiuntur, impensae, suam praesentiam, quamvis ad hoc per nos tanquam principale regni huius membrum fuerit requisitus, exhibere non valisset; tamen huiusmodi nostra ad praedicti regni gubernacula provectione percepta, mox ipse ad quaequae nostra beneplacita suam illico voluntatem transformans, missisque festine ad majestatem nostram suis notabilibus nunciis, per eorum medium suum ad praedictam nostram sublimationem concurrentem assensum, celebri congaudio nobis fecit pateferi, et fidei suae puritatem, atque intentum stabilem manifestis signis demonstravit. Reliquum vero regio similiter, immo et aeterno memoriali

dignum suae sinceræ fidelitatis non solum indicium, quin potius palpabile experimentum in eo novissime apparuit, cum hys diebus præteritis, nobis in exteris partibus extra ipsum regnum nostrum Hungariæ pro notabilium rerum et agendorum, votive dante Domino iam peractorum, expeditione laborantibus, et tutelæ ejusdem regni nostri et confiniorum eiusdem commode attendere non valentibus, Turcorum Dominus cum valida sua diversarum gentium et nationum undique aggregata potentia regnum Rasciæ præactum suæ ditioni subiugaturus subintrasset, multisque hinc inde in eadem hominum interemptionibus, præda, strage, pluribusque nocementis commissis, tandem post nostrum scilicet iam in hoc regnum nostrum Hungariæ de dictis exteris partibus novissime habitum regressum castrum Zenderew expugnaturus obsedisset, antelatus Dominus Despotus, quamvis per dictum Dominum Turcorum multis promissionibus circumventus, pluribusque allectus beneficiis, imo etiam nece filii et filiae suorum nunc in captivitate ipsius Turcorum Domini hac ratione existentis, diffidatus extiterit, maluit tamen potius omnibus bonis et regno suis relictis, etiam a consortio suarum se disiungere prolium, quam de aliqua infidelitatis labe quovis sinistro impulsu notari, præ elegitque fidelitatem in prosperis observatam etiam in adversis in se solidam demonstrare, quam lumborum suorum genitos ac bona quæquæ recuperando, Crucis Xti, et nostri sævissimi æmuli delitiis gloriari. Quæ et in ipsius facti experientia conspeximus: nam antelato Turcorum Domino in obsidione castri præacti perseverante, ipse Despotus ob evidentem suæ fidei puritatem una cum uxore ac uno filio suis, alio in conser-

vatione ipsius castris obsessi relicto, totaque curia sua ad nostram Maiestatem se contulit, et confestim non parva gentium suarum coacervata potentia ad obviandum exercitui dictorum Turcorum, nobiscum procedere promptus fuit. Ex quibus etc. (sequitur donatio castris Világosvár in Comitatu Zarand). Datum Zegedini in festo ad vincula B. Petri Apostoli. Anno Domini MCDXXXIX.

Ex originalibus in archivo Camerali conservatis eruit  
G. Praÿ.

*VIII. Jus Hungariae in Rasciam, et Albaniam recuperatam confirmatum. A. 1444.*

Nos Capitulum Orodensis Ecclesie — — — ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod illustres Principes, Dominus Georgius, regni Rasciae Despotus, et Dominus Albaniae, ac Domina Elena consors, nec non Lazarus, filius eiusdem, personaliter onera, et qualibet gravamina Gregorii et Stephani, filiorum, nec non illustrium Principum, Dominarum Catherinae, consortis illustris principis Domini Ulrici Ciliae, Zagoriaeque Comitum, et Mariae vocatarum, filiarum scilicet praefati Georgii Despoti, ex eadem Domina Elena procreatarum, fratrum puta et sororum praelibati Lazari carnalium, nec non Hermanni filii ac puellae Elisabeth vocatae, filiae praetitulati Ulrici Comitum, nepotum videlicet antelati Georgii Despoti et Dominae Elenae, nec non aliorum universorum, quos infrascriptum negotium tangere dinoscitur, pro se, et singillatim super se ipsos et cunctas ipsorum haereditates, scilicet regna, castra, castella, oppida, villas, tenutas et possessiones ipsorum, tam in hoc regno Hunga-

riae, quam alias ubicunque habita et existētia assumendo, coram nobis constituti, sunt confessi in hunc modum: Quod valida potentia saevissimorum Turcorum, orthodoxae fidei persecutorum, praedicta regna sua, Albaniam scilicet, a diuturnis temporibus, Rasciam vero per quatuor annos proxime elapsos usurpando occupavit, et ab ipsis alienavit, magnamque partem regni Hungariae devastavit; homines utriusque sexus jūgo perpetuae servitutis abducendo; tum quod altissimi creatoris auxilio occurrens Magnificus Johannes de Hunniad Vajvoda Transilvanus praedictam validam potentiam dictorum saevissimorum Turcorum, primo in eisdem partibus Transilvanis Mysuhbeeg, Capitaneum ipsius Potētiaē Turcorum, cum aliis videlicet Wayvodis, qui ipsas partes Transilvanas; secundo vero in partibus Transalpinae Bassam, Vice-Imperatorem Turcorum, quum ipsas Transalpinas cum maxima potentia subintrasset, et debellasset, triumphum victoriae reportando; Tertio, quum regnum Bulgariae per ipsos perfidos Turcos a multis temporibus occupatum et tentum subintrando, ibique pluribus paganis interfectis, multisque incendiis et combustionibus perpetratis, capta praeda, quam plures homines Xticolas, utriusque sexus, alias per ipsos paganos abductos, liberando, secum reduxisset, et tandem ipse Joannes Wayvoda sua bona opera augmentare non renuens pro defensione regni Hungariae praedicti, et catholicae fidei a supremo Domino impositae, ac recuperationem praedictorum regnorum Rasciae scilicet et Albaniae in anno proxime transacto, cum valida potentia, et exercitu Hungaricali, de suis propriis sumtibus et thesauris, fere ad triginta duo millia



florenorum auri, expendendo, demptis auxiliis et sumptibus alienis, se appromptuando, contra ipsos perfidos Turcos ad regna eorum una cum ipso scilicet Despoto perrexisset, ubi pluribus potentiis ipsorum Turcorum debellatis, tenuisque eorum desolatis et spoliatis optata victoria redeundo, ipsum regnum Rasciae pro maiori parte eisdem, videlicet Domino Georgio Despoto, et Lazaro restaurasset, et recuperasset; demum vero anno in praesenti ipse Johannes Wayvoda bona bonis accumulare cupiens, similem magnum exercitum et potentiam Hungarorum cum suis propriis expensis, puta sexaginta tribus millibus florenorum auri, absque auxilio et thesauro aliorum, in subsidium ejusdem assignato, levando, pro defensione ejusdem regni Hungariae, ac fidei Christianitatis, nec non totali recuperatione praedictorum regnorum Rasciae et Albaniae, in quorum reoptentionem divina annuente clementia, spes indubia credendi contra perfidos Turcos praedictos, crucis Xti persecutores ad treuga eorum devenisset, — — — ideo ipse scilicet Dominus Georgius Despotus, ac Domina Elena consors, et Lazarus filius ejusdem volentes ipsum Johannem Wayvodam pro tantis et maximis laboribus, favoribusque, expensis et — — — ac servitiis ejusdem, per ipsum huic regno Hungariae, ac catholicae fidei et toti Xtianitati, nec non eisdem scilicet Domino Despoto, et Consorti ac filiis ejusdem modo praemisso factis — — — consumatis, expensis et exhibitis, aliquo dono, licet idem plura, et multo majora mereretur, praemiari, castrum eorum Világosvár, etc. eidem Johanni de Hunnyad, Wayvoda Transylvano, ac per eum Ladislao et Mathiae, filiis ejusdem eorumque haeredibus et

posteritatibus donassent etc. Datum per manus Magistri Georgii Lectoris, et Concanonici nostri. Feria VI. proxima post festum visitationis Virginis gloriosae. Anno Domini MCDXLIV-o.“

Ex archivo Camerali eruit idem G. Pray. Vide etiam Diploma anno 1453. infra.

*IX. Castrum Jaicza, in Bosnia, pecuniis Hungarorum provisum. A. 1502.*

Nos Petrus de Vingarth, regni Hungariae Palatinus, et Judex Cumanorum, Comes Petrus de Bozÿn et S. Georgio, Judex Curiae regiae, et Wayvoda Transilvanus, nec non Comes Siculorum, Laurentius Dux de Uylak, Josa de Schom, Comes Themensiensis, ac Generalis Capitaneus partium inferiorum regni Hungariae, Blasius de Ras-ka Tavernicorum, Moÿzes Buzlaÿ de Gergella-ka, Janitorum regalium Magistri; Georgius de Kanysa, Banus Nandor albensis, Georgius de Báthor, Antonius et Michaël de Palocz, Georgius Drakffy de Beöltheük, Sigismundus et Michaël de Guth, Emericus de Perény, Dapiferorum regalium Magistri, Stephanus de Rozgon, Albertus de Lossoncz, Nicolaus Ongor de Nádasd, Joannes de Homonna, Thomas de Szeech, Andreas Both de Bayna, Franciscus Bodo de Gyeurgÿ, Balthasar et Benedictus de Batthÿann, Joannes Petheö de Gerse, Emericus Czobor, de Czobor-Sz. Mihály, Comes Camerarum salium regalium Transilvanien. Georgius Szerechen de Meszthegyneö, Paulus Dombo, Franciscus de Haraszth, Osvaldus de Korlathkeö, castrorum regalium Thata et Comarom Castellanus, Nicolaus de Wárda, Petrus de Butka, Tavernicus regius, et Comes Simeghien.

Magister Johannes de Illeövölgy, Magister Franciscus de Marotha Personalis Praesentiae Regiae Protho-Notarÿ, et Andreas Literatus de Bancha, Comes Chongradiensis, Barones et Proceres regni Hungariae, in praesenti generali congregatione, Festi Sancti Georgii Martÿris, proxime praeteriti, Budae constituti recognoscimus et notum facimus, quibus expedit universis: Quod nos considerantes pericula, in quibus castrum Jaycza, et cetera etiam castra, in regno Bosnae existentia, in praesentiarum propter continuos Turcorum insultus posita sunt, et cognoscentes regiam Majestatem non posse aliunde eiusmodi periculis obvenire, debitasque et opportunas ad id facere provisiones; ob hoc, inter alios, apud quos pecuniae per reverendum in Xto Patrem, quondam Dominum Osualdum Eppum Zagrabiensem, ad reformationem castrorum finitimorum deputatae, et legatae existebant, recursum habuimus etiam ad Generosam Dominam, Margaretham, alias relictam quondam Magnifici Domini Nicolai Bánfii de Lindua, Janitorum regalium Magistri, nunc vero consortem Magnifici Domini Joannis Ernust de Chaktornya, Agazonum regalium Magistri, effecimusque et elaboravimus, vt ipsa omne illud residuum earundem pecuniarum, quod apud illam de octo millibus florenorum, minus centum et viginti quinque flor. quae dictus condam Maritus eiusdem, Nicolaus Bánffy ad se receperat, remansit, ad evitandum huiusmodi extremum periculum dicti castri Jaÿcha, et conservationem eiusdem, simul cum illis quingentis florenis auri, quos idem condam Nicolaus Bánffy de huiusce modi pecuniis, sine omni debita ratione, et iusta causa, pro se recepit, dedit, et assignavit, idcirco ean-

dem Dominam Margaretham, sed et Magnificum Joannem Bánffy filium, nec non cunctos haeredes, fratres et consanguineos, atque familiares eiusdem, super assignatione huiusmodi residuitatis, dictae summae, atque quingentorum florenorum, nostro ac totius huius regni nomine quietos et expeditos, et per omnia absolutos relinquimus; promittentes bona fide, eandem Dominam Margaretham, et praefatos filium, vniversosque fratres et consanguineos, ac heredes nec non familiares suos, tam coram regia Matte, quam universo regno, et alias ubique locorum superinde defendere, et indemnes conservare, harum litterarum nostrarum, quibus sigilla nostra sunt impressa, vigore et testimonio mediante. Datum Budae, feria quinta, proxima ante festum Pentecostes. Anno Domini MDII.“ Locus 32. sigillorum

Ex originali archivi Cameralis.

Rex Mathias Corvinus, ad Bosniam regno Hungariae magis firmandam, eidem duos ex Hungaris Petrum de Zob, ac Ladislaum de Disznos Banos praefecit. V. Diploma anni 1467. quo M. Thomae de Kuveszarw, alias de Goztony, Custodi ac Canonico Ecclesiae Quinqueeccles. armorum insignia contulit. In archivo Camerali.

*IX. Jus Hungariae in Banatus Nandor-Albensem et Zewrinensem. A. 1503.*

Nos Comes Petrus, Comes de Sancto Georgio et de Bozyn, Iudex Curiae Serenissimi Principis Domini Wladislai, Dei gratia, Regis Hungar. Bohemiae etc. ac Wayvoda Transilvanus, Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes quibus expedit, universis. Quod cum in praesenti diaeta, seu conventionione generali universorum Do-

minorum Praelatorum et Baronum, ac caeterorum regnicolarum pro festo beati Michaëlis Archangelii proxime praeterito de regio mandato in campo Rakos celebrata, quedam littere eorundem uniuersorum Dominorum et regnicolarum sanctionales et constitutionales, factum ejusdem unionis et conclusionis eorum super electione novi regis, post obitum praefati Domini nostri Wladislai regis Domini nostri gratiosissimi, siquidem absque heredibus masculinis decedat, fienda, ratificate in se exprimentes, in pargameno privilegialiter confectae, sigillisque eorum in pendentem communitate, coram eisdem Dominis et regnicolis, nobis quoque praesentibus, in ipso campo Rakos ad legendum pariter et sermone vulgari declarandum fuissent exhibite; mox egregii Stephanus Keserew de Gybarth, et Ladislaus de Zenthpeter de Comitatu Walko, in ipsorum et aliorum uniuersorum ejusdem Comitatus nobilium nominibus et personis nostram exurgentes in praesentiam paria earundem litterarum sanctionalium per nos eidem universitati nobilium ipsius Comitatus de Walko dari petierunt jurium eorundem ad cautelam; quarum tenor talis est:

Nos Thomas tt. Sancti Martini in montibus sacrosanctae Romane Ecclesiae presbiter Cardinalis, Strigoniensis, et Gregorius de Frangepanibus Colocensis et Bachiensis Ecclesiarum Canonice uniuersitarum archiepiscopi, ac Sigismundus Thurzo Transilvaniensis, Georgius Varadiensis, Cancellarius Regius, Franciscus Jauriensis, Nicolaus de Chech Chanadiensis, Nicolaus de Báthor Vaciensis, Stephanus Nitriensis Episcopi, et Joannes Országh electus Sirmiensis, Ecclesiarum Praelati, ac Bar-

tholomaeus Prior Aurane, Comes Dubiczensis, Item Emericus de Peren, Comes perpetuus Comitatus Abawivariensis, regni Hungariae Palatinus, et Judex Cumanorum, Comes Petrus Comes de sancto Georgio et de Bozyn Judex Curie regie, ac Wayvoda Transilvanus, Joannes de Zapolya, Comes perpetuus terre Scepusiensis, Dux Laurentius de Wylak, Josa de Som Comes Temesiensis, ac partium inferiorum capitaneus generalis, Blasius de Raska Thavernicorum, Moyses Buzlay de Gergellaka Janitorum, Georgius de Báthor agazonum, Michaël de Palócz Pincernarum, Joannes Podmániczky de Pományn cubiculariorum regionum Magistri, Anthonius de eadem Palocz, Franciscus Comes de praedictis sancto Georgio et de Bozyn, Georgius de Kanissa Banus Nandoralbensis, Joannes Berizlo regni Rascie despotus, Stephanus de Thelegd Thesaurarius regius, Joannes Bebeck de Pelsewcz, Georgius Drágffy de Belthewk, Thomas Zechy de Felsew Lindva, Michaël Országh de Gwth, Franciscus de Hedervára, Stephanus Rozgon de Monyoros, Joannes de Hommona, Sigismundus de Lossoncz, Georgius Comes de Merczin, Andreas Both de Baýna, et Franciscus Balassa de Gyarmath, regnorum Dalmat. Croat. et Sclavoniae Bani electi, Joannes Pethew de Gerse, Janitorum regalium Magister, Joannes Tarczay Sicularum, Ambrosius Sárkány de Akosháza, Posoniensis Comites, Michaël de Chak, Joannes Bánffy de Losoncz, Barones, nec non Barnabas Belay Zevrinensis, Georgius More de Chwla Nandoralbensis, Nicolaus Kende de eadem Chwla de Sabach Bani, Marcus Horwath de Kamichacz castellanus castri Budensis, Emericus Thewrek de Ennyng, Michaël de Pakos, Martinus Czo-

bor de Czoborzentmihály, Michaël de Zob, Paulus de Magh Vice-Palatinus, Ludovicus Zerechen de Meztighnyew, Vice Judex Curie regie, Magistri Joannes de Ellye-Welgh, Palatinalis, Stephanus de Werbewecz Judicis curie regie, et partium Transilvanarum, Mathaeus de Mezewgyan, et Franciscus de Marotha personalis presentie regie Maiestatis protonotarii, nec non Michaël Emreffy de Zerdahel, Andreas Literatus de Bancha, Comes Csongradiensis, Oswaldus Korlathkewy castro-rum Tata et Comaromiensis castellanus, Nicolaus Zolyomý de Albes, Nicolaus Zekel de Kewend, Ladislaus de Kiswarda, Nicolaus Haghmasy de Berekszo, Albertus de Pakos, Item Stephanus Keserew de Gybarth, Ladislaus de Zenthpeter, de Walko, Franciscus Herczeg de Zekchew, Stephanus Ystvanffy de Kisasszonyfalva, Joannes Byka de Theremhegh, Georgius Orbonacz de Crasosew, Leonardus Dacho de Ewr, de Baranya, Stephanus de Korothna, Joannes Fanchy de Czordowa, Ladislaus Lengyel de Thothy, Joannes Kalman de Inakod Simigiensis, Franciscus Bodo de etc. Anno Ch. MDV. Unde nos petitionibus prefatorum Stephani Keserew et Ladislai de Zenthpeter, favorabiliter inclinati, tenorem earundem litterarum de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento aliquali, transcribi et transumi presentibusque litteris nostris privilegialibus inseri facientes, memoratis Stephano Kesserew et Ladislao de Zenthpeter, consequenterque ipsi universitati Nobilium dicti Comitatus de Walko, volentibus et consentientibus praefatis Dominis et regnicolis duximus concedendas. Datum Loco, termino et anno in prenotatis.“

Ex archivo Camerali.

*X. Suprema Ludovici II. R. H. pro Jaiczae Castro conservando sollicitudo. A. 1524.*

Nos Ludovicus Dei gratia Rex Hung. et Bohem. etc. Damus pro memoria, quibus expedit, universis: Quod nos animadvertentes cusionem praesentis monetae novae, tum ad defensionem regni huius nostri, tum ad expeditionem faciliorem, atque uberiolem, ceterarumque necessitatum nostrarum, plurimum conducere; volentesque hujus modi proventus nostros undecunque ampliare; id animo deliberato, et ex certa scientia nostra fidelibus nostris, Reverendo Domino Michaëli Keserew, Episcopo Ecclesiae Bosnensis, ac Egregio Joanni Zerethen, cubiculario nostro, annuendum duximus, et concedendum, ut ipsi libere ubique, sub ditione nostra, argentum emere, antiquas, ceterasque monetas cambire, officinam cusionem in oppido Ezeck extruere, et monetas novas infra revolutionem unius integri anni, incipiendo a die datarum praesentium, cudi facere possint: eo potissimum respectu, ut et solutionibus illis maximis, quas ad Jayczam, reliquaque castra Bosnie et Croatiae facere habemus, aliquantum levaremur, et ipse dominus Episcopus castra sua, in confinibus habita, et tam in muro, quam alijs edificijs pene desolata, reformare, atque munire possit. Promittentes eisdem in verbo nostro regio, quod infra revolutionem ipsius unius anni hujusmodi cusionem a praefatis Dominis Bosnensi et Johanne Zerechen non auferemus, neque per fidelem nostrum, Reverendum Dominum Paulum, Episcopum Agriensem, Thesaurarium nostrum modernum, futurosue thesaurarios nostros auferri patiemur, hoc per expressum declarato, quod de lucro cusionis



secundum voluntatem et informationem ipsius The-  
saurarii nostri disponere, et illud, quo ac quomo-  
do ipse voluerit, dispensare debeant, et teneantur.  
Immo annuimus et concedimus, ac promittimus  
harum nostrarum vigore, et testimonio litterarum  
mediate. Datum Bude, feria quinta in vigilia Si-  
monis et Jude Apostolorum. Anno Domini 1524.“  
Ludovicus Rex mpr.

Originales in archivo Camerali.

*XI. Sacrae Regni Hungariae Coronae in Bulgariam  
Jus. Anno 1404.*

Sigismundus Dei gratia Rex Hungariae, Dal-  
matiae, Croatiae, etc. Marchioque Brandenbur-  
gicus, Sacri Romani Imperii Vicarius Generalis,  
et Regni Bohemiae Gubernator, Memoriae com-  
mendamus, tenore praesentium significantes, qui-  
bus expedit vniuersis. Quod nos ita Divina suf-  
fragante Clementia, scepra gubernamus regalia, et  
eorum Principatui auctore Deo praesidemus feli-  
citer; cunctorumque nostrorum fidelium fidelita-  
tes et actus strenuos provida consideratione pensa-  
mus, ipsisque ex innata nobis regia liberalitate  
condigna praemia solemus elargiri, recensentes et  
in regalibus praecordiis revolventes, praeclaras fi-  
delitates et laude digna obsequia, et sinceras ac  
virtuosas complacentias fidelis nostri dilecti, viri  
Magnifici, Joannis de Maroth, Bani nostri  
Machoviensis, quibus idem Celsitudini nostrae in  
pluribus nostris et regni nostri agendis prosperis  
et adversis, sub diversitate locorum et temporum,  
per suorum operum laudabilium efficacem et in-  
defessam sollicitudinem, multimode studuit com-  
placere. Signanter dum olim Johannes, filius Pe-

tri Horvathi, et alter Johannes crucifer Prior Auranae, nostri notorii infideles, cum coeteris nostris infidelibus ipsis adhaerentibus, Serenissimas Principes Dominas Elisabeth matrem, ac Mariam conthoralem, nostras charissimas, dictorum regnorum nostrorum Reginas felicium recordationum, prope civitatem Gara vocatam, in conflictu eorundem personali, ibi cum nostris fidelibus commisso, et interemptione plurimorum nostrorum fidelium praedictorum, contra eosdem Johannem Horwathy et alterum Johannem Cruciferum, ipsorumque sequaces, in defensione dictarum reginarum ferventer dimicantium, captivassent; in qua quidem captivitate ipsa Domina mater nostra, proh dolor! per eosdem miserabiliter extitit interempta, praefatus Johannes Banus ideo ut ipsis Dominabus reginis, matri et conthorali nostris charissimis, alicuius defensionis subsidium impendere potuisset, in area ipsius certaminis et conflictus, ab ipsis nostris infidelibus gravissima ad se laesionis suscepit vulnera, ubi etiam per eosdem detentus extitisset. Tandem vero, dum fideles nostri, vir Magnus Nicolaus de Gara, tunc Banus Machoviensis, et Stephanus de Losoncz, iuxta oppidum de Tergwelgh (Cservig) cum eisdem Johanne de Horvathy nostro infidele, et eius sequacibus conflictum commisissent personalem, tunc etiam idem Johannes Banus, non formidans suae personae periculum, conflictu in eodem contra eosdem nostros infideles, cum sui sanguinis effusione, et vulnerum susceptione, Nobis idem fideles exhibuit famulatus. Insuper dum nefandissimi crucis Christi hostes, utpote Turci, valido eorum cum exercitu Comitatum nostrum Syrmiensem hostiliter subintrassent; tunc idem Johannes de Maroth Banus,

cis civitatem Magiolaz cum eisdem, pro nostri regii honoris incremento, conflictum commisisset, in quo etiam conflictu Dionysium fratrem suum vterinum, iidem nostri hostes captivassent, et captum abduxissent; ubi idem dictus Johannes Banus cum detentione ipsius fratris sui, et non sine suorum familiarium periculo et nece, ac sui sanguinis effusione, nostrae fideliter servivit Majestati. Animadvertentes etiam, quomodo dum alias falerata cohors Turcarum in sua pluralitate confusa, iam dictum Comitatum nostrum Syrmiensem, utpote vice iterata, hostiliter invasisset, et in eodem spolia, incendia, homicidia, et detentiones nostrorum regnicolarum, utriusque sexus non modicas commisisset, tunc etiam memoratus Johannes Banus, pro nostri honoris exaltatione, cum eisdem penes Civitatem Nagzenk conflictum personalem viriliter commisisset, et in eodem stragem non modicam fecisset, ubi non sine duorum lethaliū vulnerum plagis, et quam plurimorum familiarium suorum periclitatione, nostrae claritati fidelia obsequia curavit exhiberi. Praeterea, dum nefandissimus crucis Christi, immo totius orthodoxae fidei hostis et persecutor, Bajzath, Dominus Turcorum, capitalis nostrae Maiestatis aemulus, cum valido ipsorum exercitu Turcorum et aliarum barbararum nationum caterva fulcitus, partes nostras Tansalpinas hostiliter subintrasset, easdem fere in maiori parte devastando et depopulando, castrum nostrum minoris Nicopolis a Merche Waywoda familiari nostro vi obtinisset, et in eodem gentem suam pro conservatione reliquisset, Nosque percepta hujusmodi annotati Bajazath tyrannica saevitate nostra valida cum potentia ad obviandum temeritati ipsius Bayzath, et ad defen-

dendum ipsas partes nostras, praesertim praedictum castrum minoris Nicopolis de manibus suae gentis expugnassemus; in qua quidem expugnatione ipsius castrum idem Johannes Banus se dictis Turcis opponendo, cum sui sanguinis effusione, et lethali vulnerum susceptione, Nobis cernentibus, Nostrae Majestati ibidem, ad vota nostra, similiter fideles exhibuit famulatus. Caeterum dum nostra celsitudo, temporibus retrolapsis, restaurato nostro validissimo exercitu ad regnum nostrum Bulgariae, cis fluvium Danubii, ubi Paganorum, nobis et regnis nostris inimicantium, pululabat multitudo, se transtulisset, et castrum majoris Nicopolis obsedisset, praedicto Bayzath Imperatore eo tempore in Thirno cum validissima potentia sua Turcorum existente; tunc idem Johannes Banus de nostro mandato ad explorandum potentiam ipsius Bayzath, non formidans periculum suae personae, sed in suae strenuitatis confidens audacia, properando et ad nostram celsitudinem redeundo, de ipsius Bayzath potentia nostram Serenitatem certissime informavit, ubi etiam interemptione cuiusdam sui familiaris et sanguinis proprii effusione, nostrae fidelia exhibere obsequia curavit Majestati. Item etiam itinere in eodem, dum circa castrum praedictum ipsa nostra Maiestas cum Bayzatho praedicto conflictum inivisset personalem; tunc praefatus Johannes Banus suis fidelitate et strenuitate suffultus nonnullos praedictorum Turcorum viriliter interimendo, cum plurimorum familiarium suorum nece ac periculo saevissimas vulnerum plagas conflictu in eodem sustulisse non formidavit. Ubi etiam praefatus Dionysius, frater ipsius Johannis Bani, per ipsos Turcas extitit interemptus. Praeterea, dum vali-

da potentia Turcorum, cum caeteris persecutoribus christianorum, gente utpote Bosnensi, fluvium Sava transfretrasset, et districtum de Posega hostiliter subintrasset; tunc idem Johannes Banus assumpta sibi valida potentia, adversus eosdem viriliter properando cum eisdem conflictum iniisset personalem, tunc stragem inter eosdem (non sine proprii sanguinis effusione ac periculo et nece plurimorum consanguineorum et familiarium) in area ipsius conflictus commisit et perpetravit. Postremum fortuna nobis sinistrante proh dolor, dum nonnulli Praelati, Proceres, et Barones regni nostri, prius capta et detenta nostrae Maiestatis persona, regimine et solio dicti regni nostri nos privari voluissent; tunc idem Johannes Banus valido suo exercitu aggregato, non parcendo personae, possessionibus et bonis suis, se fortunae casibus pro liberatione personae nostrae, et honoris nostri incremento, submittendo, ipsam nostram personam per hujusmodi fidelia obsequia et virtuosa opera liberando, ad regimen dicti regni nostri rursum sua peritia et industria mediante sublimavit. Tandem vero nobis in regno Bohemiae pro sacri Romani Imperii et nostri Patronatus honore laborantibus, dum nonnulli Praelati, Magnates, Proceresque nostri, ingrati et immemores beneficiorum a Celsitudine nostra copiose perceptorum, rebellionis calcaneo ducti, a sinu clementiae nostrae se abducere, acceptando alium eis ignotum regem, utpote Ladislaum, filium condam Caroli de Duracio, in hoc regnum nostrum, in opprobrium nostri culminis, introducere voluissent; Emericusque Bebek, Prior Auranae, qui ferme totius rebellionis et dissensionis auctor fuerat, et causa efficiens, recepta sibi et aggregata plurima poten-

tia, fidelem nostrum, Virum Magnificum Paulum Byssenum de Eorghede, Dalmatiae et Croatiae praedictorum, et Slavoniae regnorum nostrorum Banum, qui se suae exquisitae dolositati opponere disponebat, fraudulenter captivassent, captumque praefato Ladislao, filio Caroli, pro encenio destinassent, hunc idem Johannes Banus suae fidelitatis laudabilem constantiam contestando, elevato suo proprio vexillo, et totali sua potentia instaurata, et adversus adnotatum Priorem suae fidelitatis audacia properando, eundem Priorem de regno nostro Slavoniae ad regnum Bosniae simul cum suis sequacibus et fautoribus expulit, et aufugavit; quosdam ad eundem pertinentes et contra nostram Maiestatem rebellantes, terribiliter opprimendo, et quosdam ad viam veritatis reducendo. Ipsoque Priore Auranae sic expulso et aufugato, volens pro nostri honoris exaltatione magis in suis fidelissimis actibus insudare, quoddam castrum annotati Prioris, Thorna vocatum, de quo multa mala, incendia, damna et depraedationes nostris fidelibus irrogabantur, cum ipsa sua potentia obsedit et convallavit, ubi in expugnatione dicti castri nostri per nostros infideles in eodem existentes ictu teli fuit lethaliter in caput vulneratus, ita quod fere quatuor annis elapsis vel citra, ferrum ipsius teli de capite eiusdem eximi nequivisset. Demum vero immediate praefati Praelati, Magnates, et Proceres nostri, ut praemisimus, malo freti consilio, simul conspirantes, Nos diademate nostro regio et corona, quibus regna nostra praedicta fere annis sedecim tenueramus, privare, et de eisdem excludere satagentes, praefato Ladislao, filio quondam Caroli, ut eorum vota valerent adimpleri, ad civitatem nostram

Jadrensem, conductum praeberant, eundem quodam sermo fictitio coronantes, ac praedicta duo regna nostra, videlicet Dalmatia et Croatia, manibus eiusdem Ladislai filii Caroli, cum castris, districtibus, et terminis assignantes, propter quae, per eosdem in dictis regnis nostris nobis et fidelibus nostris, spolia, incendia, et interemptiones plurimorum regnicolarum nostrorum, et alia quam plurima et irreparabilia damna sunt perpetrata. Sed suffragante nobis divini auxilii remedio, qui suos solo nutu salvare solet, et conservare; interveniente etiam nobis et assistente valida potentia Johannis Bani, qui ut praemisimus, necem propriam, ac fratrum et familiarium suorum non formidans, nec curans pericula rerum et possessionum suarum, ipsis nostris infidelibus, sub banderio ipsius Ladislai, filii Caroli, procedentibus, et diversis eorum praeliis devictis, viriliter obviavit. Itaque si praemissa fidelia servitia, et virtuosa, industria, operaque ac valida potentia ipsius Johannis Bani nobis non adfuisent, dubium fuisset nobis, pristina regni nostri gubernacula readipisci. Ad quae quidem gubernacula, rege altissimo annuente, per fidelia servitia et virtuosa opera ipsius Johannis Bani, ipsis nostris infidelibus inuitis, rursus fuimus sublimati, et nunc in regimine et solio ipsius regni nostri feliciter gloriamur. Tandemque consulti fuimus per fideles nostros, ut universaliter infidelibus nostris, super ipsorum delictis perfidiae, gratiam et misericordiam faceremus, quod et gratanter fecimus moti regia pietate ita, quod ipsi per datum ipsius gratiae factae, deinceps a nocementorum ac damnorum et spoliolorum illatione desistere, in nostri conspectu pro huiusmodi corroboranda gratia

se praesentare deberent. Cum autem Stephanus de Giente una cum Johanne, filio Dominici de Sambok, Georgius, filius Stephani de Bodou et Stephanus frater eiusdem, cum Thoma, alias episcopo Ecclesiae Agriensis, et Stephanus, filius Ladislai, dicti Hempze de Gomba, simul cum Nicolao, filio Johannis quondam Bani de Horváthy, nostris notoriis infidelibus, his proximis praeteritis disturbiorum temporibus sub nomine et vexillo praedicti Ladislai, filii condam Caroli regis de Duracio, per regnum nostrum, in ipsius et regnicolarum nostrorum devastationem, et incommoda, hinc inde discurrendo, praedasque, spolia, et indicibiles enormitates temere in crimen laesae Maiestatis nostrae committendo, et perpetrando, incurrere non erubuerunt et veluti in sensum reprobum dati, in profundumque malorum mersi, non expaverunt; Mattko autem de Szent Márton, cum Turcorum Imperator saevissimus Bayzath, regnum nostrum hostiliter subintraverat, inter alia sua nefaria facta, civitatem nostram regalem Szava Szent Demeter nominatam, ad manus ipsius Bayzath proditorie tradiderat, qui etiam in sua infidelitate praedicta perseverando, transivit cum Bayzath supra dicto, iidemque huiusmodi nota infidelitatis offuscati, non curantes gratiam, sed potius in suscepta perfidia perseverantes, malum malis accumulando, post praemissum tempus gratiae patrare non formidarunt: Unde nos de consilio et unanimi decreto tam fidelium Praelatorum, et Baronum Nobiscum ab initio degentium, quam ad gratiam susceptorum, pronuntiavimus et decrevimus praefatos Stephanum, filium Pauli de Gyantha, Georgium, filium Stephani de Bodon, ac Stephanum fratrem eiusdem, nec



non Stephanum filium Ladislai, dicti Hempze de Gomba, ac Matko de Szent Márton, in pristina nota infidelitatis permanentes, ipsos persequi debere, velut sacrae coronae nostrae proditores. Qua propter eosdem universis possessionibus et portionibus possessionariis eorum ubicunque in Comitatus de Valko, Sirmiensi, Bachiensi, Boddrogensi, et Pestiensi vocatis, habitis, et existentibus, quovis nominis vocabulo vocitatis, et per eosdem dudum possessis, privantes ac destituentes, ipsasque ad manus nostras regias applicantes, de manibus nostris regiis, nostrae donationis titulo, cum omnibus earum utilitatibus et pertinentiis, videlicet: Ecclesiarum patronatum iuribus, libertatibus, nundinis, tributis, terris arabilibus, cultis et incultis, foenetis, campestribus pascuis, molendinis, aquis, aquarumque decursibus, piscinis, stagnis, lacubus, arundinetis, sylvis, nemoribus, arundinetis, pratis, promontoriis, villis, praediis, ac sitibus villarum, caeterisque et universis aliis et singulis utilitatibus utilitatumque integritatibus, intra cursus metales et antiquas limitationes, universarum possessionum et portionum possessionariarum, vel aliquam ipsarum, existentibus, quolibet nominis vocabulo vocitatis, praefatorum nostrorum infidelium, superiorum nominatorum, quibus eadem per earum detentores, infideles scilicet nostros supradictos, et alios earum possessores, tentae fuissent, ac possessae; et omni eo iure, quo praemisso modo nostrae incumbit collationi, praefato viro Magnifico Johanni, filio Johannis de Maroth, Bano nostro Machoviensi, pro praemissis suis multimodis servitiis, licet a nobis maioribus praemiis extolli mereretur, tamen in aliqualem recompensationem eo-

rumdem servitorum suorum, praenarratas universas et singulas possessiones et portiones possessionarias antedictorum nostrorum infidelium cum universis earundem iuribus, et pertinentiis superius specificatis, et per eum suis haeredibus haerendumque suorum successoribus et posteritatibus universis, dedimus, donavimus, et contulimus, immo damus, donamus et conferimus iure perpetuo et irrevocabiliter tenendas, habendas et possidendas harum testimonio literarum (salvo tamen iure alieno Nostrae duntaxat fidelium Maiestati). Praesentes dum nobis in specie fuerint reportatae, in formam nostri privilegii redigi faciemus. Datum Posonii, Feria sexta proxima post Festum Paschae, Anno Dominini eiusdem Millesimo, quadringentesimo quarto,“

Eruit ex authentico originali Daniel Cornides, cuius par archivum nostrum possidet. Vide etiam de an. 1391.

*XII. Sigismundus Imperator, filio Bulgarorum Imperatoris possessionem in Comitatu Temes pro descensu in praemium confert.*

Nos Sigismundus etc. Memoriae commendamus etc. Quod nos, qui ex innata nobis regia benignitate et liberalitate cunctorum nobis fideliter obsequentium, illorum potissimum, quos praeclari generis insignitate praepollentes fidelitas continuos, veritas obsequiosos reperit, et laboris virtuosissimi assiduitas evidenti testimonio comprobavit, actus strenuos dignae retributionis bravio metiri, ex indeque ipsos favoribus prosequi gratiosis, et plurimis solemus condecorare donativis: attentis et consideratis in animo nostrae considerationis sedula meditatione pensitatis fidelitibus et fidelium

servitorum, digne attribuentium meritis, et sinceris Complacentiis fidelis nostri dilecti magnifici, Fruscin, filij quondam Susman, Imperatoris Bulgarorum, quibus idem in nonnullis nostris et regnorum nostrorum arduis expeditionibus, sicuti prosperis, sic etiam adversis, contra Turcas, aliosque Crucis Christi et nostros inimicos, laboribus sudorosis, plerumque pro regni nostri honoris exaltatione, et incremento viriliter insudando, seque ac bona sua diversis fortunae casibus exponen. nobis et sacro nostro diademati regio summo alacrique fidelitatis fervore studuit complacere. Cupientes itaque praemissorum meritorum suorum contemplatione sibi nostrae Majestatis benevolentiam ostendere favorosam, quamdam possessionem nostram N. vocatam in Comitatu Temesiensi sitam, cum castello in eadem habito, ac cunctis villis seu possessionibus ad eandem pertinentibus, ipsiusque et earumdem utilitatibus et pertinentiis, quibus libet, quovis vocabulo vocitatis, ad ipsum et easdem de jure spectantibus, eidem Frusin pro descensu duximus dandum et concedendum. Imo damus et conferimus praesentium per tenorem, possidere, tenere, pariter et habere, salvo jure alieno, harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum Fenoldvar partium nostrarum Transilvanarum. S. P.

Ex archivo Camerali.

*XIII. Leopoldus I. Imp. Rex Hungariae jura regni Hungariae in Croatiam Turciam, Bosniam, Serviam, ac Bulgariam, proclamatione publica, recognoscit. Anno 1690.*

Nos Leopoldus, Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator semper Augustus,

ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Bosniae, Serviae, Bulgariae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, ac Superioris et inferioris Silesiae, Wirtembergae, et Theckae, Princeps Sueviae, Marchio S. Rom. Imperii Burgoviae, Moraviae, Superioris et inferioris Lusatiae, Comes Haubspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi et Goritiae, Landgravius Alsatie, Dominus Marchiae Slavonicae, Portus Naunis et Salinarum. Omnibus populis et Provinciis, ab haereditario nostro Hungariae regno dependentibus; et quibuscunque aliis, praesentes lecturis aut auditoris, imprimis populo Albanensi, gratiam nostram Caesaream regiamque et omne bonum.

Notum sit vobis, quod bellum Turcicum, ad quod foedifrage et iniuste provocati sumus, pro munere nostro Caesareo et Regio in protectione Divina, et causae nostrae justitia confisi, prosequamur, eo fine, ut populos nobis jure subiectos, et jure a memorato nostro Hungariae regno dependentes, omnesque alios Christianos, immani Turcarum servituti ereptos, pristinae libertati, pristinis privilegiis, pristinaeque cum corpore, a quo dependent, unioni; abusu omni sublato, reparatoque defectu, per Tyrannidem Turcicam introducto, et reddito unicuique jure suo, restituamus. Quapropter omnes populos per universam Albaniam, Serviam, Mysiam, Bulgariam, Silistriam (Bosniam et Croatiae partem) Macedoniam, Rasciam constitutos, aliasque provincias, a praedicto regno nostro Hungariae dependentes, omnesque alios populos, sub jugo Turcico gementes, benigne hortamur; ut

pio et paterno nostro desiderio correspondentes, in hac tam favorabili occasione, attritis tot cladibus per victricia arma nostra Turcarum viribus, pro sua salute et liberatione, religioneque Christiana promovenda, omnes ad partes Nostras accedant, contra Turcas arma sumant, copiis Nostris pro opportunitate et necessitate, ad mandata Nostrorum Belliducum, et Generalium, qui justo numerosoque exercitu proxime in campo comparituri sunt, se adjungant; iisdem pro posse annonam, ceteraque necessaria pro eorum conservatione subministrent, et promptas in quibuslibet occasionibus contra hostem communem ferant suppetias, dictis Belli ducibus nostris, iisdem protectionem omnem contra Turcarum impetus impertituris; exactamque ubilibet, prout serio demandavimus, militarem disciplinam servaturis, et legitimaestrae dominationi voluntarie se restituant, si gratiam et clementiam nostram experiri velint. Promittimus vobis, omnibus praedictis populis et provinciis, nobis, qua regi Hungariae de jure subjectis, et legitime subjiciendis, Servata imprimis religionis suae, eligendique Vajvodae libertate, privilegiis ac juribus, exemptionem ab omni onere publico et contributione (exceptis tamen antiquis et solitis, ante Turcarum invasionem, regum et Dominorum juribus), sublato etiam in iis omni abusu, per Turcarum dominium introducto, nisi in casu necessitatis bellorum, in quibus pro vestra propria salute ac defensione, per modum gratuita contributionis, pro posse necessaria subsidia concedetis, quibus copiae nostrae possint conservari, defendi provinciae, et onera belli sustineri. Excusso autem jugo Turcico, omnia in formam stabilem et ordinem debi-

tum pro futuro, ad votum et satisfactionem vestram redigemus; et cuilibet juribus suis, libertate religionis, privilegiorum et immunitate redditus, cunctis et singulis justitiam administrabimus; Universis gratiae, clementiae, benignitatis et paternae Nostrae protectionis, documenta uberima praebituri. Promittimus insuper, donamus et concedimus omnibus et singulis liberam bonorum sive mobilium sive immobilium, quaecunque a Turcis in confinibus suis ademerint, possessionem. Agite igitur, pro Deo, Religione, pro salute, pro securitate vestra, restauranda. Intrepide ad partes nostras accedite, lares vestros culturamque agrorum non deserite, socios vestros ad sequenda vestigia vestra invitate, et occasionem hanc a Deo et Nobis oblatam vobis, et nunquam amplius redituram, accipite, si vobis, si filiis vestris, si denique dilectae patriae et saluti consultum velit. Dum vobis in reliquo universim et singillatim, gratiam nostram Caesaream et regiam luculenter offerimus. Datum in Civitate nostra Vienne, die sexta mensis Aprilis Anno 1690. Regnorum nostrorum Romani 52. Hungarici 35. Bohemici vero 39. Leopoldus m. pr. T. H. A. Comes de Strattman m. p. Ad mandatum Sacr. Caes. Regiaeque Mattis proprium, Stephanus And. de Wadenburg.“

Ex authentico Exc. Camerae Reg. H. Aulicae.

## II.

Commentarius de jure Regum Hungariae  
in Valachiam, Moldaviam, et Bessara-  
biam conscriptus anno 1787. a. G. P.

## §. 1.

Quidquid terrarum post Transilvaniam ad Pon-  
tum Euxinum tenditur, et a meridie Danubio, ad  
septemtrionem Niestro clauditur, Valachorum re-  
gionem efficit. Haec hodie bifariam divisa est: al-  
tera usque ad Milconem fl. protensa, simpliciter  
Valachia, et in regum Hungariae diplomatibus  
Transalpina, aut minor Valachia, apud scriptores  
graecos Ungro — Valachia, audit; altera ad Pon-  
tum Euxinum porrecta Moldaviae nomen obtinuit,  
quae Graecis scriptoribus Mauro — Valachia, seu  
nigra, item Bogdania, et Turcis Carabogdania,  
apud scriptores autem hungaros et in regum docu-  
mentis Comania vel Cumania, vel major Valachia  
appellatur. Moldaviae nomen serius invaluit, nec  
scio vetustius monumentum, in quo Moldaviae  
mentio fiat, quam Caroli IV. Imp. et regis Bohe-  
miae anno 1372, quo promittit Ludovico Hung.  
regi, quod ad ejus regna aspirare nolit, inter  
quae Principatus Moldaviae etiam recensetur. Hu-  
jus regionis extremus angulus inter ostia Danubii,  
et fl. Niester conclusus Bessarabiae nomen habet.  
Gens autem Valachica indubie a coloniis romanis,  
quas Trajanus victo Decebalo isthic posuerat, ori-  
ginem trahit, quamadmodum lingua, cum italica  
ut plurimum consentiens, fidem facit, a) estque

haec meliorum Scriptorum hujus aetatis consentiens opinio.

- a) Vid. G. Pray Dissertationes ad Annales veteres Hunnorum etc. p. 158. ubi integrum catalogum vocum Valachicarum et Italicarum exhibet.

### §. 2.

Valachiae ita circumscriptae vicissitudo multiplex fuit. Ut primum enim Hadrianus Imp. a) destructo Trajani ponte colonias romanas trans Danubium in Moesiam traduxit, variae gentes ex ordine sibi succedentes regionem occuparunt. Praecipuae ex his fuere: Gothi, post hos Hunni, istos Gepidae, et Avars secuti sunt, quibus anno 890. successere Hungari, mox Patzinacitae, tum Uzi, quos Orientales scriptores passim Comanos et Cumanos vocant. b) Ac isti quidem stabilitis sedibus, et parte Valachorum, quae seculo V. Danubium ex Moesia trajecit, et media inter Slavos conседit, c) subiugata, deinceps rerum isthic potiebatur, Graecis Scriptoribus sub nomine Tauro-Scytharum cogniti.

- a) Dio Cassius in Nerva Trajano. b) Abulfredhi, et Benschunach apud D. Deguines Histoire generale des Huns, des Turcs etc. c) Lud. Schlötzer in Hist. Septemtrionis.

### §. 3.

Isthinc, ut erat gens rapto vivere asveta, crebro in Hungariam, sed parum prospero eventu, procurrerunt. Primum enim anno 1070. sub Salamone rege, ducis Ladislai, postea regis, virtute, profligati sunt; quos rursum anno 1091. in provincia Temesiensi rapinis intentos, semel iterumque vicit, et magnam partem captivorum in varia



Hungariae loca dispersit. a) Haec quaedam quasi primordia parandi in Cumanos, et Moldaviam dominii fuere. Prius tamen Valachia in jus regum Hungariae concessit, idque verisimiliter jam sub Stephano I. rege post devictum Achtunum, qui ditionem suam ex Valachia usque ad Tibiscum fere protulit. b) Abhinc reges suprematum in eam regionem, constituto Zeurinensi Banatu, tuiti sunt, ut ex actis Innocentii III. Pont. liquet. Cum enim is legatum in Bulgariam et Blachiam — ita Valachiam dixere — iturum, ad Emericum misisset, hic vero varia injiceret obstacula, veritus ne juribus suis praejudicium crearetur, Pontifex per literas regi pollicitus est, Legatum nihil omnino ejus juribus in temporalibus incommodaturum. Cur Emericus vereretur, ne non sibi injuriae aliquid legatus Pontificius in Blachiam profecturus inferret, nisi ea provincia jam sui juris in temporalibus fuisset? Quin in Cumaniam quoque, seu Moldaviam, dominationem ab Emerico circa finem sui regiminis prolatam fuisse, ex Andreae II., qui Emerico successerat, gestis non obscure conficitur. Nam cum spes non exigua affulgeret religionis christianae inter Cumanos propagandae, Robertus Archiepiscopus Strigoniensis, ad eos divertens, populum praeceptionibus religionis christianae eo fructu imbuit, ut principem gentis Borizium c) cum quindecim millibus, Andrea rege patrinum agente, d) sacris undis ablueret. e) Quo comperito, impetrata a Pontifice amplissima facultate, f) Theodoricum, ex ordine Praedicatorum, genti episcopum praefecit, g) qui suae jurisdictioni obnoxius esset. Qua in re Belae, Andreae II. filii, opera plurimum enituit, quod ipse anno 1217. cum Archiepiscopo Cumaniam ingressus, gentem

auctoritate sua facile ad amplectenda sacra christiana permoveret, ut ex Honorii Papae III. literis ad eum datis elucet. h) Qua fit, ut Cumania jam sub Emerico Hungariae clientelaris fuerit, sive suo pte, sive armis coacta hanc professsa fuerit; cum nec Andreas Emerici successor, nec Bela IV. arma Cumanis intulisse legatur, vi quorum ii juris hungarici effecti fuerint. Quamquam autem indubium sit, Cumanos regibus Hungariae homagio obstrictos fuisse, suis tamen legibus vivere, et Principibus parere ex eorundem regum indulgentia permissi sunt, quam praerogativam iis Andreas II. bulla etiam aurea confirmavit, teste Gregorio IX. in epistola ad Ducem et populum Cumanorum anno 1230. prima Octobris scripta, qua eos in specialem protectionem recipit: „Ad hujus autem libertatis et immunitatis, ac possessionis pacificae terrae vestrae concessione[m] a charissimo in Christo filio nostro Andrea Hung. rege illustri, Belae regis primogeniti sui accedente consensu, jam pridem factam Cumanis, sicut provide facta est, ut ejus regis literis aurea bulla munitis plenius continetur, auctoritate vobis apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communitus.“ i) Concessa Cumanis ab Andrea libertas, et institutus episcopatus manifeste tam jurisdictionem temporalem, quam juris patronatus in Cumaniam regibus Hungariae competere, declarant, quod ex rerum consequentium eventu luculentissime efficitur. Cum enim inter Cumanos multi Valachorum degerent, nec tam pronos se, ut illi, Episcopo praeberent, magisque ad graecum, quam latinum ritum proclives essent, Gregorius IX. Belam juniorem regem, Andreae II. filium, literis suis adhortatus, k) ut episcopum Cumanorum in constituendo Va-

lachs episcopo catholico juvaret, cum ad id praestandum caeteroquin juramento suo, quo pollicitus erat, se omnes in terra sua ad obedientiam ecclesiae catholicae reducturum, obstrictus esset, monetque, ut reddituum, quos ipse a Valachis perciperet, partem, quae ad sustentandam honeste dignitatem satis esset, futuro episcopo designaret, „cum te, addit Pontifex, non deceat in regno tuo hujusmodi schismaticos sustinere, ac ea, quae promisisti, Deo grata — — non facias irrita.“ Si, ut Pontifex rescripsit, Cumania fuit terra et regnum Belae, et in ea Valachi redditus eidem praestabant, ex quibus novo episcopo partem largiretur, patet luculente Cumaniam juris hungarici fuisse, Belamque ab Andrea patre Cumanis fuisse praefectum; quae causa etiam fuerit, cur illum se vivo coronari voluerit, isque abhinc rex junior diceretur, quem titulum jam ab anno 1222. in diplomatis, quae suo nomine edidit, et sigillis usque ad patris obitum gessit.

- a) Thurocz Chron. cap. 49, et 57. b) Vion et Anonymus Belae notarius. c) Malvenda in annalib. Praedicator. ad an. 1222. c. 23. d) Theodoricus de Appoldia in vita B. Dominici Lib. 8. c. 1. „Ducem Bemborch (Borizium) cum mille fere, et ejus familia, converterant, quem e sacro Baptismatis fonte non absque magno gaudio suscepit Serenissimus Hungariae Rex.“ e) Ibid. f) Raýnald. T. XX. p. 598. Bremont T. 1. p. 26. g) Chronicon Belgicum apud Pistorium script. rer. germ. T. III. p. 242. „In Hungaria Magister Robertus — — factus fuerat Archiepiscopus Strigonien-sis, cui cruce signato, et in procinctu itineris constituto, occurrit filius Principis de Comania, et ait: Domine baptiza me cum duodecim istis, et pater meus veniet ad te, ultra silvas in tali loco cum duobus milibus virorum, qui omnes desiderant de manu tua baptizari: quo facto abiit Archiepiscopus ultra silvas in occursum patris illius, et ibi baptizati sunt, Deo

dante, quindecim millia hominum.“ Albericus Monachus trium fontium ad an. 1228. „Archiepiscopus Robertus Strigoniensis de Hungaria novum fecit episcopum in Comania Theodoricum nomine.“ h) Extant in Tabulario Camerae. i) Ex Tabulario Vaticano, datum Perusii Kalendis Octobr. anno. III. id est 1230. k) Bremont T. I. p. 70. l.) „Bela rex junior, et primogenitus Andreae regis Hungariae.“

#### §. 4.

Hinc postea, quam rerum potitus est, etiam axioma regis Cumanorum adjecit, quo jus suum in eam regionem palam testaretur; occasionem Tartari ex Asia erumpentes praebuere, qui cum jam tertium Moldaviam ex improviseo invasissent, rex eorum Cutenus videns se hosti imparem esse, missis ad Belam nunciis, se cum sua gente penitus in fide et obedientia regis futurum pollicitus est, si sibi domicilium in Hungaria daretur. Hujus rei testem habeo Rogerium, qui per idem tempus, quo haec agebantur, Canonicus Varadiensis erat, cujus haec est narratio: a) „Igitur anno 1242. ab incarnatione dominica b) sic evenit, ut Kuthenus, Comanorum rex, ad dictum regem (Belam IV.) solennes nuncios destinaverit, asserens, se multis annis cum Tartaris pugnasse, ac obtinuisse duabus vicibus victoriam contra eos, tertia vero vice, cum existeret imparatus, terram suam subito intraverint, ita ut ipso habere exercitum nequeunte, eum dare terga oportuerit Tartaris sceleratis. et sic magnam partem terrae ipsius hominibus interemptis, hostiliter destruxerint; propter quod si vellet ipsum suscipere, ac in libertate tenere, se et suos paratus esset subdere, ac cum consanguineis, fratribusque, et

amicis suis, rebusque, et bonis mobilibus omnibus in Hungariam intrare“ etc.

Bela preces Cumanorum ratas habens terram illis inter Tibiscum et Danubium habitandam dedit, legesque constituit, quibus gens indomita sensim moribus Hungarorum consuesceret. Atque hoc tempore Regem se Cumanorum, ut memoratum est, appellavit, jusque suum confirmavit in Cumaniam; sed, quod post Cumanos in Hungariam recedentes, Valachi etiam a Tartaris ad extremum provinciae Maramarsiensis angulum retrusi essent, desolatam illam, et incolis vacuum. Quo minus id autem confestim plene exercere potuerit, Tartari impedivere, qui Hungaria fere biennio misere vastata, Belam memorabili praelio victum, cum conjuge ac prolibus in Dalmatiae insulas, salutis causa, fugere compulerunt.

- a) Tom. I. scrip. rer. hung. in miserabili carmine c. 2. p. 294. b) error scribae est. Nam Tartari anno 1240. circa Pascha jam in Hungariam irruerant, et in exitu anni 1242 ex illa excessere. Cum igitur Cumanorum in Hungariam migratio ante Tartarorum irruptionem contigerit, rescribendus est annus 1239.

### §. 5.

Post Tartarorum ex Hungaria excessum Bela in regnum reversus, eoque sensim restaurato, cura sua Valachiam quoque, et Moldaviam complexus est. Primum enim omnium providit, ut regio habitatoribus, accitis undique sparsorum Valachorum reliquiis, frequentaretur, tum ut ab hostium incursionibus deinceps tuta esset, militia muniendam censuit. Atque in hunc finem utramque regionem Rembaldo domorum Hospitalis hieroso-

lymitani Magno Magistro, certas conditiones pactus, contulit. Earum praecipuae erant, ut fratres hospitalarii usum fructum ex Valachia et Moldavia per 25. annos ita perciperent, ut reddituum medietas Fisco regio obveniret, iis terrae portionibus, quas Valachi sub Lythen et Senezlao Vajvodis sensim incolere coeperant, exceptis; tum si hostis aliquis Hungariam invaderet, quinta pars incolarum armis provisa regibus subsidio veniret, sin contra reges copias in Bulgariam, Graeciam vel etiam Cumaniam ducerent, tertia pars militiam in exercitu regio profiteri cogeretur: sumptus in castrorum, munitionumque aedificationem, et custodiam regi, et fratribus communes essent; ad haec Magister Hospitalis, si rex bellum adversus paganos, vel schismaticos moveret, centum fratres militaribus armis, et equis decenter, beneque paratos; sin vero in christianos arma corripere, dimidium illorum ad custodienda in confiniis castra mittere obstrictus esset: denique ut commodius res necessariae fratribus ex partibus ultramarinis subministrari possent, Scardonem quoque Urbem Dalmatiae cum portu iisdem fratribus contulit. Haec fere summa conventionum fuit, quas rex anno 1247. tertia Nonas Junii publicis literis, bulla aurea munitis, confirmavit. Nec fratres hospitalarii segnes in excolenda regione sibi collata fuere, eamque brevi tempore coloniis non ex Hungaria, aut Transilvania, quod iis diserte in conventionibus vetitum erat, sed aliunde deductis, sic satis florentem reddiderunt.

## §. 6.

Bela, ut Cumanos magis in obedientia contineret, sensimque ad amplectenda sacra christiana viam iis sterneret, filio suo Stephano uxorem ex eorum gente dedit, a) eique post coronationem, tributo regis junioris titulo, praeter Transilvaniam Cumanos quoque regendos commisit. b) Hac benevolentia deliniti Cumani non modo religione christiana initiari se passi sunt, sed tam Belae, quam Stephano, ejus successori, in variis bellis, praesertim contra Ottocarum Bohemiae regem, fidelem et egregiam operam navarunt. Verum sub Ladislao, Stephani filio, qui ob vagum in Cumanas mulieres amorem Chunus dictus est, turbas dedere. Cum enim inter proceres hungaros, et primores Cumanorum aemulatio, et simultas orta esset, ac isti propterea latrociniis, incendiis, caedeque, sacra ac profana omnia perturbarent, bona eorum pars, sive metu suppliciorum, sive natalis soli amore ducta in Moldaviam clam secessit, regemque sibi instaurare parabat, nec multum aberat, quin eorum exemplo reliqui quoque Hungaria excederent armisque viam sibi aperirent, sed victi a rege, et profugi ex Moldavia reducti, c) initis conditionibus a recuperanda et juri regio eripienda Moldavia quievere.

- a) Ita enim rex ad Innocentium Pap. scripsit: „Cumanos etiam in regno nostro recepimus, et prohi dolor! per paganos hodie regnum nostrum defendimus, et per paganos, infideles Ecclesiae conciliamus. Amplius propter defensionem fidei christianae nostro primogenito Cumanam quamdam thoro conjunximus maritali, ut per hoc vitaremus deterius, et ut occasionem aliquam nancisci possemus, per quam valeremus eosdem, sicut pluries jam fecimus, ad baptismi lavacrum cou-

vocare etc. Datum in Patak in die S. Martini Eppi.  
 b) Vivo patre usus est hoc titulo: Stephanus Dei gratia rex junior Hungariae, Dux Transilvaniae et Dominus Cumanorum. Item isto: Staphanus Dei gratia primogenitus illustris regis Hungariae, dux Transilvaniae et Dominus Cumanorum. c) Hujus mentionem facit Ladislaus Chonus in donatione Thomae Tolpos facta: „Nos itaque considerantes multiplicēs et laudabiles famulatus praefati Thomae — — praesertim cum in Hood perfida gens Cumanorum ausu temerario contra nos convenerat. etc.

### §. 7.

Interea tempus conventionis, quam Bela IV. cum fratribus hospitalariis ad 25. annos pactus est, sub initia Ladislai Chuni effluxerat, quo durante Valachia populo aucta in meliorem statum opera Fratrum reposita est; sed Moldavia ob viciniam Tartarorum minus culta, et pene desolata mansit, veteres colonos postea sub Ludovico I. rege Hungariae acceptura. Valachia igitur, cujus dimidium usum fructuum Hospitalarii per 25 annos habebant, expleto conventionis tempore in pristinum jus regum plene rediit, nec prius Valachi quidquam adversum ausi sunt, quam dum Carolus Robertus exactis Hungaria aemulis rerum potitus esset. Turbulento enim regni tempore Bazaradus Valachiae Vajvoda primus omnium debitam regi obediētiā detrectare, et consuetum tributum pendere recusavit. a) In hunc igitur rex movens ante omnia Zevrinum occupavit, constitutoque isthic Bano, cum porro in Valachiam progreditur, a Vajvoda pacem per legatos ad speciem implorante, inter indagines circumventus, prope exercitum perditurus erat, nisi virtute suorum, etsi difficulter, servatus fuisset. b) Quamquam autem hic cona-



tus infeliciter Carolo ceciderit, tamen Vajvoda potentiam et vindictam regis veritus, haud multo post ad pristinam clientelam rediit; quin et Cumaniam, seu Moldaviam cum Bessarabia eidem paruisse, patet ex litibus, quas Praefecti provinciae illuc missi cum Tartaris crimaeanis saepe habuerunt, quarum causa istorum Chanus, Uzbegus, Pontificis opem, missis etiam legatis, implorare non dubitabat. Nusquam Tartarorum, qui in Crimea sunt, imperii limites ultra Danastrum fl. pertinuerant, itaque cum confinium causa altercatio inter Tartaros, et regis Hungariae subditos intercesserit, necesse est, id temporis Moldaviam cum Bessarabia Carolo paruisse.

a) Thurocz Chron. P. II. c. 97. b) Pray Annal. Part. II p. 25.

#### §. 8.

Ac Moldavia quidem sub Ludovico I. qui Carolo patri successerat, insigne auctarium colonorum accepit. Valachi enim, qui metu adventantium Tartarorum ad extremum Marmarasiensis provinciae in Hungaria angulum se receperunt (§. 4) duce Bogdano, a) pristinas sedes repetierunt, et sensim in amplissimum populum excrevere, constitutis ex sua gente Vajvodis, qui licet communi suffragio eligi solerent; tamen, ut Secretarius Ludovici regis memorat, b) se se Vasallos regis Hungariae profitebantur, ad homagium praestandum obligati, cum censu persolvere consueti. Cum Secretarius Ludovicii regis rerum a rege gestarum spectator, et conscius fuerit, nihil luculentius afferri potest, quo ostendatur jus in Moldaviam et Valachiam regibus Hungariae velut supremis do-

minis competere, licet aliquoties recalcitrare, jugumque excutere tentaverint. Valachi quidem Transalpini sub initium regiminis Ludovici defectionem moliri videbantur exemplo Saxonum in Transilvania ad id perducti, sed cum intellexissent regem celeritate antevertisse Saxonum conatus, et refractarios ad obedientiam reduxisse; malebant spontanea subjectione regis clementiam, quam vindicantis iram, experiri. Rem Ludovici secretarius in haec verba enarrat: c) „Cum autem esset (rex) in memoratis partibus (Transilvaniae) quidam Princeps, seu Baro potentissimus, Alexander Vajvoda Transalpinus, ditioni ejusdem subjectus, qui tempore quondam Caroli regis, patris sui, a via fidelitatis divertendo rebellaverat, et per multa tempora in rebellione permanserat, audita pietatis ac etiam potestatis ejusdem Ludovici regis fama, ad ipsum sponte personaliter veniens, circa confinia ipsarum partium, ad pedes regiae Majestatis humotenus provolutus, et ad obedientiam ac fidelitatem debitam reductus, et integratus, solennia munera, et clenodia praestando, et suum dominum, ac sanctam coronam recognoscendo, cum gaudio, et laetitia ad propria remeavit, et ab illo tempore fidelitatem conservavit.“ Nec deinceps quidquam Valachi sub Ludovico moliri ausi sunt, nisi cum is anno 1371. in refractarios Bulgaros moveret. Laiko enim, seu Ladislaus, Vajvoda Valachiae, Bulgaris clam favens, ex opposita Bulgariae ripa insidias regi struere ferebatur. Quo comperto Ludovicus Nicolao Transilvanensi Vajvodae mandaverat, ut ex Siculorum finibus Valachis iucumberet, cum ipse interea ad Danubii ripam hostem infestaret. Ac ille quidem superatis alpibus rem victo Dragomero Valachorum duce,

captisque aliquot arcibus feliciter rem in principio gessit, postea autem in insidias praecipitatus, copias pene omnes amissurus erat, nisi rex cum Nicolao de Gara, bano Machoviensi, trajecto Danubio tempori adfuisset, cujus adventu Valachi mitiora consilia amplexi ad obedientiam rediere; qui ne iterum defectionem moliri possent, oppido Zevrino castrum operibus munitum adjecit, idque Anglis balisteriis, qui vigili cura eos observarent, custodiendum tradidit. d) Ea re permotus Vajvoda, et novo praeterea beneficio regis, qui illi non temnendam Fogarasiensis provinciae in Transilvania portionem, Valachiae vicinam, dono dederat, obstrictus, Ludovicum, et successores reges Hungariae, pro naturali Domino agnovit. Ita enim in donatione, quam Vajvoda cognato suo Ladislao de Doboka anno 1372. fecerat, inter cetera mentem suam declarat; „quare supplicamus Serenissimo Domino nostro Ludovico illustri regi Hungariae, Domino nostro naturali, ejusque successoribus, quatenus literas nostras praesentes in vigore suo confirment, et corroborent, et donationem nostram sic nostrò dilecto consagvineo, et fratri factam, secundum quod praefertur, confirment, stabiliant.“

a) Thurocz. P. II. Chronici ex archidiacono Küköllyensi cap. 49. b) Ibid. c) Ibid. cap. 3. d) Ibid. p. 192.

### §. 9.

Hoc modo Ludovicus deinceps Moldavianam, et Valachiam usque ad obitum jure supremo tenuit, talemque Sigismundo regi, qui Mariam, ejus filiam, uxorem habuerat, reliquit. Ast eo mortuo Poloni, ut primum Hedvigis, Mariae Sigismundi conjugis soror, Vladislao Lithvano nupserat, ei-

que dotale regnum Poloniae 1386. attulerat, jus in Moldaviam sibi asserere contendebant. Plures rerum Polonicarum scriptores in hoc argumento desudarunt, imprimis Godofredus Lengnichius in jure publico regni Poloniae, a) cujus haec sunt verba: „Moldaviae et Valachiae Principes, olim regis Poloniae supremum dominium reverebantur; quam in rem diplomata collegit Dogiel, ex quibus patet — — — b) tum Moldaviae, tum Valachiae Principes regi Poloniae fidelitatem jurasse, ac foedera de mutuis auxiliis, aliisque iniisse.“ Verum quidem est Dogielum memorasse, c) literas exstare, quibus contineatur, Petri Moldaviae Palatini (ita Vajvodas Poloni vocant) cum gente sua subjectio et fidelitatis homagium Vladislao regi, et Hedvigi reginae anno 1387. praestitum; sed ipsas literas, quod lingua Valachica exaratae essent, nec earum interpres inveniri potuerit, non depromit. Quod ipsum me dubitare facit, an reipsa homagium in iis contineatur, praesertim quod idem Petrus Vajvoda, d) dum anno 1389. foedus cum Vladislao rege contra Sigismundum regem pepigerat, nec verbum memoret, ex quo vel levis conjectura de praestito homagio elici possit, ut adeo literae anni 1387. lingua Valachica conscriptae nihil aliud, quam foedus anno 1389 firmatum continere videantur. Aut si reipsa homagium a Petro praestitum continent, cum ipsi Scriptores Poloni fateantur e) Petrum ab Hungaris defecisse, nullum id titulum fundavit ad acquirendum jus in Moldaviam. Defectio enim natura sua arguit illum, a quo quis deficit, legitimum dominum fuisse; nemo autem, si subditus deficiat, hoc ipso legitimus dominus esse desinit. Ceterum primus omnium ex Moldaviae Vajvodis Romanus

erat, qui homagium et juramentum fidelitatis Vladislao regi anno 1393. praestitit. f) Hunc in pangingo adversus Sigismundum Hungariae regem foedere anno 1389. g) praeverterat Miricius, seu Myrche Vajvoda Valachiae, quin tamen homagium fidelitatis praestitisse legatur, quod neminem ex Valachiae Vajvodis ante Alexandrum, idque primum anno 1419. regi Vladislao praestitisse ex eorum documentis h) exploratum est, nisi forte Vladus Vajvoda et Comes de Severino in hunc censum veniat, qui se Vladislai regis homagiale jam anno 1396. diserte professus est. i) Sed hi omnes homagii praestiti fundamentum in haereditate Hedvigis reginae, Vladislao nuptae, collocant, quemadmodum ex paulo ante memorati Vladislai literis perspicuum fit: „Quia pridem regnum Hungariae ad memoratam dominam Hedvigem, et haeredem dicti regni Hungariae unicam, et superstitem, et consequenter ad praefatum D. Vladislaum regem Poloniae conthoralem ipsius, iure haereditario esse comperimus devolutum, prout hoc ipsum in literis dicti Ludovici regis, et regnicolarum Hungariae et Poloniae regnorum praedictorum super eo confectis, intelleximus fuisse, et esse conditionatum, sicque etiam nos, et domina nostra dictis dominis Vladislao regi Poloniae, et Hedvigi reginae, et regno eorum Poloniae et Hungariae in subditos obligamur. Igitur ex certa nostra scientia, fide bona, sine dolo et fraude, ex nunc tenore praesentium, nos eorundem duorum Vladislai regis, et Hedvigis reginae, et ipsorum liberorum, haeredum, regum et reginarum Poloniae et Hungariae regnorum cum omnibus dominiis et subditis nostris facimus, subijcimus, et perpetuos homagiales fore confitemur.“ k) Contuli omnia

momenta, quibus Poloni jus suum in Moldaviam, et Valachiam tuentur, in compendium, ut, quibus praecipue rationibus nitantur, quisquis primo intuitu videre possit.

- a) T. I. 56, 57. b) Citat diplomata annorum 1387. 1389. 1393. 1395. 1421. 1453. 1464. 1499. 1552. 1569. c) Diplomatarii regni Polon. T. I. p. 597. d) Ibid. p. ead. e) Ibid. p. 623. f) Ibid. p. p. 599, g) Ibid. p. 598. h) Ibid. p. 600. i) Ibid. p. 623. k) „Datum in oppido Agrisch ipso die sanctae et individuae Trinitatis 1396. Initium diplomatis hoc est: Vlad Waywoda Bessarabiae, nec non Comes de Severino.“ Originale valachico sermone exaratum fuit, sed traductor polonus egregie hallucinatus est, dum pro Bazarabo, quod cognomen pluribus Valachiae Vajvodis commune erat, substituit Bessarabiam provinciam. Cui enim persvaderi potest, Vladum praeter Valachiam possedisse etiam Bessarabiam, cum inter utramque provinciam tota Moldavia interposita alteri principi paruit?

## §. 10.

### *Deest initium hujus §.*

Nihil plus ponderis habet homagium, quod Vladus Valachiae Vajvoda eidem Vladislao Polono, eiusque coniugi Hedvigi, anno 1396. itaque iam defuncta Maria regina Hungariae, praestiterat, quod Sigismundus legitimus rex adhuc superstes successit, et jus suum, quoad vixit, consentientibus Hungariae regnicolis, etiam armis tuitus est. Accedit, quod defuncta anno 1399. Hedvige, etiam si haeres Hungariae a Ludovico scripta fuisse concederetur, tamen quod praeter Bonifaciam filiolam, eamque triduo solum superstitem, nullum haeredem reliquerit, jus suum, si quod tamen habuisset, nequiquam ad Vladislaum illius

maritum, sed ad Sigismundum legitimum Hungariae regem devolutum esse, merito censi debet. Aut si Hedvigis eam potestatem habuit, ut jus suum in Hungariam, illiusque adnexas provincias in maritum transcriberet, multo utique magis id Maria, natu major Ludovici filia, in Sigismundum coniugem transferre potuit. Quod ipsum in causa videtur fuisse, cur Vladislaus, dum cum exercitu in Hungariam, ut hanc sibi assereret, irrumperere cogitabat, rem maluerit pactis, quam bello experiri. Cuiusmodi autem haec fuerint, nemo, quod sciam, memoriae prodidit. Illud tamen ex literis Sigismundi, quibus merita familiae de Kanÿsa prolixè recenset, videtur credibile, Vladislaum iuri suo, quod praetendebat, renunciasse. Ita enim Sigismundus isthuc loquitur: a) „His expeditis versus Cassoviam ad confinia regni nostri, per quae Vladislaus rex Poloniae regnum nostrum occupaturus, moliebatur subintrare, idem dominus (de Kanÿsa) Archiepiscopus cum nonnullis aliis fidelibus subditis nostris sibi associatis, cum plerisque suis armigeris gentibus, obviam ipsi Vladislao regi protinus progrediens, et viam ingrediendi sibi, et suorum armorum coetui prorsus praecludens, et vetans omnes tumultus, et errores, insultus, et cuncta jurgia, qui et quae praextu obitus ipsius Reginalis (scilicet Mariae coniugis) et absentiam nostrae Maiestatum intra arbitum et in confiniis regni nostri emergere, suboriri et contingere potuissent, sua peritiâ interveniente, sano dogmate, extinxit, sopivit, et sedavit, praetaxataque regna nostra b) condigno moderamine praefulciendo, sub pacis debita tranquillitate indemniter, et illaese

pro nostra reservavit Maiestate.“ Quae non obscure indicant, Vladislaum a sua in Hungariam, et connexa ei regna praetensione, initis opera Archiepiscopi Strigoniensi, cum Sigismundo pactis, suoapte recessisse, licet his, quantum ad Moldaviam attinet, serius postea non steterit, quod regio illa ad reprimendos Tartarorum incursions Poloniae opportuna videretur.

- a) Ex autographo. Datum est anno dni 1401. XIII. Kal Martii. b) Eorum nempe, quae ingressu diplomatis recenset, ut Hungariae Dalm. Croat. Ramae, Serviae, Lodom. Comaniae et Bulgariae.

### §. 11.

Sigismundus pace cum Vladislao Polono confecta, ne ex homagio, quod Stephanus Moldaviae Vajvoda Vladislao praestitit, a) iuri suo praeiudicium cum tempore crearetur, mature obvian- dum ratus, Moldaviam ipse statuit ingredi, ut ex Vajvoda aut poenam violatae fidei sumeret, aut eum ad seniore pristinaeque obedientiam revocaret. Quare Stephano de Kányisa Sicularum comiti in mandatis dedit, ut facto militiae delectu, viam, qua tutior in Moldaviam aditus erat, exploraret, et quamprimum ad se referret. Edoctus rex tutius et magis commodum iter e Sicilia, quam Valachia, in Moldaviam esse, confestim exercitum cum Kanisae castris coniunxit, et paucorum dierum intervallo, in alpibus crebro cum Moldavis manus conserens, eosque in fugam conjiciens, ad urbem, in qua Vajvoda residebat, improvisus adfuit. Qua celeritate in angustias redactus Vajvoda errati veniam a rege petiit, b) pollicitus, se in recognitionem dominii naturalis consveta dona



quotannis Fisco regio depensurum, literis, ut Sigismundus in diplomate anni 1401. ait, vigorosis, juramentoque exinde praestito vallans se ipsum cum suis complicibus, in omni fidelitate, et obedientia propensius obligans in praemissis nostrae Maiestati.“ c) Itaque si axiomati iuris, quo priora per posteriora tolli censentur, standum sit, patet Polonos ex homagio Stephani Vajvodae, quod anno 1395. Vladislao praestitit, nihil iustae praetensionis in Moldaviam habere, cum idem Vajvoda eodem anno paenitentia ductus ad Sigismundum Hungariae regem, velut naturalem suum Dominum reversus, fidelitatem juramento, literisque firmans, vim homagii regi Poloniae prius praestiti penitus irritarit, et eliserit. Si postea aliqui ex Vajvodis Moldaviae, ut reipsa evenit, juramentum fidelitatis Poloniae regibus praestitere, nihil id iuri eorum patrocinari potest, quod Moldavia et Valachia iam multo prius regibus Hungariae legitimo titulo subiecta fuerit, — §§ 3, 4, et 5. — quam Poloni ullum vel coloratum titulum in eas regiones haberent; ius autem cuius fundamentum vel nullum in rerum natura erat, vel, si fuit, ab hereditate Hedvigis reginae repetunt, violente, et ante tempus, itaque mala fide occupatum, mortua autem Hedvige Poloniae, et Maria Hungariae reginis, in Sigismundum regem tam uxoris titulo, quam Ludovici regis voluntate, cum regnicolarum consensu, devolutum, — §. 9 et 10 — fuit. Ex quo capite homagium etiam, quod Alexander Vajvoda Moldaviae anno 1404. d) Vladislao, et post Hedvigem mortuam, novae illius coniugi Annae Cillejensi, quae in ius Hedvigis nequaquam succedere poterat, praestitit,

Sigismundo Hungariae regi injuriosum, proinde nullum fuit. Quod quamquam ita se haberet, crebro tamen tricus inter Hungaros et Polonos occasionem praebuit, quod cum Sigismundum a bello Venetis ob recuperatam Dalmatiam inferendo detineret, statuit controversiam de Moldavia cum ipso Vladislao Polono transigere. Itaque an. 1412. Sandecium, quo Vladislaus prior venerat, profectus, collatis cum illo consiliis, rem eo adduxit, ut conventionis tabulae Lubloviae decimo quinto die Martii utriusque consensu signarentur. e) De Moldavia ita praecipue conventum est, ut, Alexander Voÿvoda, non obstante homagio, quo se Vladislao obstrinxerat, quotiescunque Turcae, aut alii infideles, Hungariam valido exercitu invaderent, aut Sigismundus contra eosdem extra Hungariam proficisceretur, omnibus suis viribus adjuvamento sit, nisi forte morbo praepediretur, tum vero obstructus esset idem sub auspicio belliducis praestare; sin vero nec ipse veniret, nec suas copias auxilio mitteret, uterque rex unitis viribus hominem aggrederentur, et Moldavia ejeciant, cujus dimidia pars Sigismundo, dimidia Vladislao obveniat. Sin autem Vajvoda fidelem operam Sigismundo navaret, in pacifica possessione ad quinquennium relinqueretur, salvo iure partis utriusque. Atqui conditiones hae nec vivo utroque rege, nec postea in effectum deductae sunt, proinde nihil per hos iuri regum Hungariae praeciudicatum fuit, quod ipso eventu postea firmatum est, dum Vladislaus II. Hung. rex illud ius contra fratrem suum Sigismundum Poloniae regem acriter tuitus esset. Ceterum ex his nullo negotio liquet, Vajvodas Moldaviae, cum modo ab Hungaris ad Polonos, modo ab his rursus ad Hungaros seces-

sere, nihil aliud fuisse molitos, quam ut ludificata utraque parte, sibi suprematum dominii in Moldavia compararent, unde factum, ut cum nec legitimo domino, nec usurpatori subesse volebant, iugum turcicum ferre coacti fuerint. Sed de Moldavia iterum disserendi locus erit.

- a) Apud Dogiel. T. I. p. 600. b) Thurocz. Chron. P. IV. p. 218. c) Tom. I. profan. p. 10. serie II. item p. 59. „Cum nos ad territoria etc.“ item p. 138. d) Apud Dogiel T. cit. p. 600.

### §. 12.

Valachia non tam molestas curas, ut Moldavia, crebriores tamen, Sigismundo conscivit. Nam et huius Vajvodae exemplo Moldavorum crebro ad Polonorum partes defecere, a) quorum quidem causa Poloni nunquam cum Hungariae regibus lite contendebant, sive aequitati causae, seu mutabili gentis ingenio diffisi, quae eodem tempore, quo Hungariae regibus obedientiam detractaverat, et ad Polonos transiit, clam cum Turcis colludebat. Ea re illectus Bayazethes huius nominis primus, exercitum ex Bulgaria in Valachiam traiecit, occupataque Nicopoli minorem dominationem latius producere coepit. Sigismundus admonitus de provinciae periculo, nihil morandum ratus, cum Nicolai de Gara Palatini et Joannis Maroth bani de Machov copiis, quam potuit maximis itineribus, in Valachiam profectus, adventu suo Bayzathem in fugam egit, occupataque Nicopoli Vajvodam rursus in fidem recepit. b) Sed homo vafer, et datae fidei immemor, regem, dum is pacata provincia securus in Hungariam reditum parabat, insidiis circumventum in summum discrimen adduxit, ex

quo tamen virtute suorum feliciter, etsi non sine clade, eluctatus est. c) Qua perfidia Sigismundus vehementer irritatus, comparato exercitu, vindictam ex foedifrago sumere parabat, iamque prope erat, ut Valachiam infestus ingrederetur, cum Mirche Vajvoda et iram offensi regis metuens, et viso, Turcos, quos in auxilium advocaverat, magis ad occupandam provinciam, quam se iuvandum proclives esse, poenitentia ductus, regem inermis Brassoviae in Transilvania morantem convenit, impetrataque ab illo erratorum venia, et Fogarasiensi provincia, tum Banatu Zeveriensi donatus, paci, vi cuius regem, et regis copias, si adversus Turcas, aliosque hostes eum progredi necesse esset, omnibus suis viribus, comiteatu, aliisque rebus bello opportunis iuvaret, anno 1595. subscripsit. d) Verum Sigismundus hominis varficiem iam expertus, ut illum in fide contineret, filium illius Laykonem secum in Hungariam abduxit, qui quamquam liberaliter in aula regis haberetur, tamen, ubi patris sui Myrchaem mortem intellexit, et illi aliquem Dan a Sigismundo in Vajvodatu subrogatum; clam fuga versus Poloniam elapsus, sed brevi post ex ea reductus est. e) Suspicio non inanis erat, Valachorum hortatu persvasum fugae se dedisse, ut Polonorum ope principatum paternum obtineret. Quod cum aliter, ac illi sperabant, evenisset, fidei immemores, et Turcarum auxiliis confisi, Danum, suffecto illi Radule Praznaglova, Vajvodatu dejecere. Sigismundus videns hac audacia suam auctoritatem contemni, Joannem de Maroth, banum Machoviensem, cum copiis in Valachiam proficisci iussit, qui fugato Radulo, et Turcis tota provincia exactis Danum auctoritate regia in Vajvodatu con-

firmans, Valachos ad pristinam fidelitatem reduxit. f) Vix hac molestia se explicuit Sigismundus, cum e Moldavia rursus res novae offerebantur, Stephanum nempe Vajvodam anno 1434. se regi Poloniae praestito iuramento obstrinxisse, g) id quoniam pactis, quae anno 1412 — §. 11. inter se, et Vladislaum regem coaluerant, adversaretur, Legatum in Poloniam semel iterumque, tum in Moldaviam proficisci iussit, qui utrobique ius regium pro virili tueretur. Videtur, uti ex literis Sigismundi apparet, k) legatos industria sua eo rem adduxisse, ne ob praestitum a Vajvoda iuramentum iuri regio in Moldaviam ullum praeiudicium crearetur, quod ex Sigismundi verbis, quibus per legatum ab utroque, ad quos missus erat, votivum responsum allatum esse testatur, luculenter patet.

- a) Apud Dogiel T. cit. loco. b) Thurocz Chron. P. IV. p. 219. c) T. III. profan. p. 188 Tom. I. p. 35. ubi fragmentum est diplomatis Alberti regis, a verbis „similiter assumpto etc. item ex Cornidesianis MSS, fragmentum diplomatis anni 1404. d) Supplement. p. 144. e) Tom. 54. p. 91. f) Ex Cornidesianis MSS. diploma Sigismundi an. 1427. Item apud Wagner diplomatarium Sarosiense p. 379. a verbis „et dum praeterea idem Stephanus Poharnik. etc. g) Apud Dogiel T. cit. p. 601. k) Ex Vagner Diplom. Sarosien. p. 378. a verbis: „Nos Sigismundus etc. quod nos attentis etc. quibus idem — — se se, et sua diversis fortunae casibus etc. usque ad verba „reportare studuit et curavit. et. Datum etc.

### §. 13.

Ei mortuo Albertus successit, quo vix per biennium integrum regnante nihil in utraque provincia immutatum est, nisi quod Elias Moldaviae

Vajvoda confestim a Sigismundi obitu Polonorum partes non obscure visus sit respicere, dum Vladislao regi in compensationem damnorum, quae Alexander, Eliae pater, Polonis intulerat, terram Sepinensem cum arcibus Choczim, Czenin et Chmielovia reddidit. a) At defuncto rege Alberto, dum proceres hungari inter se dissiderent, et alii Ladislaum, Alberti filium posthumum, alii contra Uladislaum Polonum, Hungariae regem declarassent, Elias detracta larva aperte ad Polonos transiit, et Vladislao, fratrique eius Casimiro homagium anno 1443. praestitit. b) Ac id quidem regni ordines, quod Vladislaus simul Poloniae et Hungariae rex esset, interea dissimulandum esse putarunt; cum vero Turcae magna Moldaviae et Valachiae parte subiugata, etiam de Transilvania occupanda cogitarent, iamque duce Mezetbego in eam irrupissent, rex communem Hungaris et Polonis causam esse ratus, Joannem Hunyadem, Vajvodam Transilvaniae, hosti obviam ire iussit, qui collecto, quam poterat celerrime, exercitu, cum in Turcas incidisset, primum cedere coactus, post reparatis viribus, initoque praelio, hostem ingenti clade affectum, caeso Mezetbegi filio, Transilvania ejecit, c) ultraque alpes, quae Moldaviam ab ea discriminant, persequutus, plerisque, qui praelio supererant, et palantes circum errabant, aut caesis, aut in captivitate abductis. Hac victoria Moldavi et Valachi sive metu, sive victoris hortatu inducti ad fidelitatem pristinam juramento firmatam rediere. d) Quamquam paulo post Valachiae Vajvoda in fide rursus nutare coeperit, ad quem exauthorandum, vi enim se in Vajvodatum intruserat, rursus Hunyades a rege missus, contumacem brevi profligatum, captumque decollari

jussit, substituto ei Bazaraba vero haerede, et Dani filio, sub quo Valachi iterum in clientelam Hungariae recepti sunt, quemadmodum rex in eo diplomate, in quo Hunyadis Victoriam ex Mizetbego relatam prolixè memorat, testatur: „Potius itaque, ait rex, hac felici victoria praefatus noster Vajvoda, dehinc ad recuperationem transalpinarum, praedictis Transilvanis vicinarum partium intendere coepit, habitumque est, ut eius ope et opera, expugnato, et decollato inimico earum partium Vajvoda, verus haeres, puta Bazarab, filius quondam Dan Vajvodae, ipsis nostri parte in Dominum et Vajvodam praeficitur, per idque eadem partes totaliter ditioni coronae hujus subjungantur.“

Exstat de eo instrumentum apud Dogiel Tom. cit. p. 601. b) Exhibet id Dogiel cit. loc. c) Pugnae exitum Vladislaus rex in diplomate anni 1443. die 7-a Apr. edito his verbis narrat: „deinde alio casu, dum quidam Mezythbeg, alter Turcorum Vajvoda, valide XVI. millium armigerorum comitatus exercitu, partes nostras Transilvanas — — vastaturus intrasset, quamvis primo occurso improvise tunc habito, praefatus Joannes Vajvoda caesus, fugatusque commilitonum suorum certa detrimenta pertulerit, cruentam tamen nihilominus hostibus ibidem reliquit victoriam, et demum quinto die novo praelio victus victorem evincens, gloriosam, dono Domini, ultionem revexit, moxque praefatus improbus hostis, quam devoraverat praedam, et sua propria, suorumque, ac filii praecipiti nece persolvit.“ d) Thurocy. Chron. P. IV. C. 37. „Cuius victoriae ingentis gloriae fama hanc regno attulit utilitatem, ut transalpinarum partium, et Moldaviae Vajvodae, praeteritis qui temporibus a regno regibusque Hungariae discissi, sacrae coronae rebellantes, Caesari Turcorum — — — omnem viam suam dedicaverant, Domini Joannis Vajvodae aut consilio inducti, aut metu concussi, ipsorum simul cum dominis in pristinam redierint fidelitatem, obsequia

quia consveta regi Vladislao exhibere jurejurando promittentes.“ e) Ex authographo anni 1443. Itaque Turroczius id non recte post cladem Varnensem, quae anno 1444 contigerat, affigit.

#### §. 14.

Non perinde Vladislao conatus ad recuperandam Bulgariam successerat. Etsi enim anno 1444. opera Joannis Hunyadis Turcas variis praeliis vicerit, subegeritque omnem eam regionem; conserta tamen infeliciter ad Varnam prope Pontum Euxinum pugna, praecipuam exercitus partem una cum vita amisit. Ceterum de Moldavia id adhuc sub eius regimine memorandum, quod, dum ab Hungaris in regem eligeretur, inter condiciones ab Hungaris propositas, quas se impleturum promisit, etiam pollicitus sit, se „omni diligentia, sollicitudine, et opera pro recuperandis omnibus juribus, et pertinentiis regni Hungariae laboraturum“; de Moldavia diserte addens: „hoc etiam specialiter adjecto, quod ad articulum terrae Moldaviae, remaneat pro nunc in statu, in quo est, et adveniente tempore, quo domino regi videbitur, de Consilio Praelatorum, et Baronum utriusque regni fiat secundum quod in antiquis literis desuper confectis continetur.“ Dubium nullum est, quin eae literae, quibus Sigismundus Hungariae, et Vladislaus Poloniae reges de Moldavia certis conditionibus convenerant (§. 11.) hoc loco intelligendae sint, quae condiciones cum nec Sigismundi tempore, nec postea in effectum deductae sint; per se se consecrarium est, nihil fuisse eatenus a Polonis praejudicatum, jusque in Moldaviam penes reges Hung. in solidum permansisse. Caeso Vladislao, cum Fridericus III. Imp. Ladislaum



posthumum, Alberti regis filium, legitimum regni haerem, Graecii detineret, nec vellet petentibus Hungaris dimittere, hi collatis anno 1446. consiliis, Joannem Hunyadem Gubernatorem elegerunt, qui interea rem publicam illius nomine administraret. Hic sua virtute jura regia in provincias Hungariae connexas, praesertim in Valachiam, Ladislao integra conservavit. Qui dum ope Hungarorum, Austriacorum et Bohemorum, e manibus Friderici liberatus, in Hungariam ad capessendum regnum venisset, summa omnium Procerum in provinciis gratulatione et laetitia acceptus, salutatusque est. Inter quos cum Vladus quoque Vajvoda Valachiae officii causa fuerit, a) plane liquet, Valachos ad id tempus Hungariae clientelares fuisse. Moldavi quoque abhinc, quam per Joannem Hunnyadem ad obedientiam reducti sunt, in fide Ladislai posthumi perstitere. Tametsi haud multo post Alexander Vajvoda, qua erat animi inconstantia, rursum regi Poloniae se juramento obstrinxerit. b) Quo minus Hungari hanc perfidiam confestim ultum irent, Turcae, qui Constantino-polim hoc anno expugnare, in causa erant; metus enim non inanis fuit ferocientem victorem provinciis Hungariae incubiturum, ut ex eventu patuit; dum anno 1456. Belgrado copias admovit, a qua tamen urbe, insigni accepta clade, castrisque amissis, virtute Joannis Hunyadis rejectus est; qui dum eodem anno, non multo post adeptam victoriam, obisset, illumque altero anno Ladislaus rex fuisset secutus, Valachiae et Moldaviae cura fere neglecta erat, quod Hungariae proceres de eligendo novo rege studiis contrariis diu inter se dissiderent.

a) Thurocz P. IV. Chron. cap. 53. b) Apud Dogiel Tom. cit. p. 601.

## §. 15.

Postquam vero sedatis altercationibus Mathias Corvinus, defuncti Hunyadis filius natu minor, anno 1459. rex renunciatus esset, et is, quae supererant, turbas feliciter composuisset, curas omnes ad stabiliendam suam authoritatem, et conservanda regni jura sedulo impendit. Moldaviam imprimis animo complexus est. Occasionem praebuit Petrus Moldaviae Vajvoda, qui anno 1459. quo Mathias Corvinus solium adeptus est, a Stephano rivali Moldaviâ ejectus, primum in Polonia morabatur, postea autem cum nec isthic tutum se videret, in Transilvaniam concessit. Cum illum hic anno 1462 morari rex intellexisset, scripsit ad Vajvodam Transilvaniae, ut Petrum ad se Budam mitteret. a) Dubium non est, quin Mathias Petrum reponere in Vajvodatum, eumque Stephano subrogare cogitarit. Ita enim rex in epistola ad Transilvanum Vajvodam inter cetera scripsit: „Erit illud apud nos vobis in favorem, et ipsi Petro Vajvodae ad promotionem.“ Non aliam utique, quam ad pristinam Vajvodatus dignitatem, ex qua illum Stephanus vi detrusit. Sed ab hac cogitatione regem Mahometes Turcarum Sultanus, qui Valachiam infestis armis ingressus est, ex hac in Transilvaniam irrumpens, avocavit. Vajvoda enim Valachiae a Turcis pressus crebris nunciis auxilium a Mathia flagitabat, b) quibus rex permotus, habito militum delectu, in Valachiam profectus, cum intelligeret, Vajvodam a se prius constitutum, a Mahomete contra exauctoratum, eique filium fuisse substitutum, quod pater sanguinaria, et feroci natura praeditus in subditos caedibus promiscue grassaretur, filium in dignitate confirmavit, patrem

vero captivum in Hungariam abduxit. Rex constitutis ad hunc modum in Valachia rebus, cogitationes omnes in Stephanum Moldaviae Vajvodam convertit, ea causa adductus, ut fastum hominis qui detrectata Hungariae regibus obedientia foedus cum Poloniae rege inierat, castigaret, Petrumque, quem is dignitate privaverat, ei sufficeret. Itaque rebus omnibus ad bellum rite comparatis, Moldaviam ingressus ad Banyam urbem substitit, ut militem quiete reficeret. Sed Vajvoda regis copias nocte intempesta ex improviso aggressus magnam stragem editurus erat, nisi Mathias animo praesente suos adhortatus, hostis impetum sustinuisset, et facta impressione, insigni clade affectum in fugam coniecisset. Capta signa Budam allata, et in parochiali templo tholis affixa sunt.

e) Quo minus rex victoriae fructum porro prosequeretur, multa impedimento fuere. Turcae imprimis dominationem suam trans Danubium propagare cepientes, Valachiam ad ictum destinarunt, qua subjugata, adscitisque in belli societatem Valachis, Transilvaniam repente cum quadraginta tribus millibus ingressi, provinciam foede vastabant, sine dubio in Hungariam quoque ingressuri, nisi Stephanus de Báthor, Vajvoda Transilvaniae, collectis summa celeritate, unitisque cum Paulo Kinytio viribus, hosti obviam factus, praelioque congressus Turcas ingenti clade affecisset, caesis plerisque eorum ducibus, signisque omnibus cum optima praeda, castris quoque interceptis. d) Haec anno 1474. gesta fuere, a quo tempore Valachi ad pristinam obedientiam redire coacti sunt.

- a) Epistolarum Mathiae P. I. p. 94. b) Teste ipso rege, ut ex instructione Legato suo ad ducem Venetiarum data patet. Haec isthic sunt: „Item de intentione Vaj-

vodae Transalpini, et quantum incessanter sollicitet, ut succurratur sibi a rege, poteris inter loquendum narrare particularia.“ c) Thurocz Chron, P. IV. c. 66. d) ex Cornidesianis m. ss.

### §. 16.

Eodem successu in Moldavia res gesta est. Turcae quemadmodum Valachiae, ita et Moldaviae crebro inhiabant. Favebat primum ipsa vicinia: solo enim Danubio post occupatam Bulgariae partem separabantur; tum regionis ubertas, et militum ex devicta provincia legendorum spes etiam alliciebat. Hostis destinationem cum non ignoraret Stephanus Vajvoda, omnia ad retundendum hostem, si quid moliretur, sedulo comparavit, eventu, ut postea patuit, felici. Turcas enim non modo fortiter repressit, sed caesa etiam magna eorum copia, insigni victoria potitus est. a) Cum tamen videret, se Turcarum potentiae non posse solum diu resistere, subsidium pecuniarum a Pontifice petiit, qui spem quidem earum aliquam fecerat, b) sed cum ea in longius tempus extraheretur, et Turcae interea in Moldaviam irrupissent, actum cum illo erat, nisi Mathias laboranti succurrisset. Ut primum enim comperit, quo in periculo Moldavia esset, quamquam celebrandis cum Beatrice Arragonia nuptiis distineretur, tamen ne suis deesset, Stephanum de Báthor auxilio Moldavis misit, qui propitia fortuna usus Turcarum Imperatorem adventu suo fugavit, et provinciam rursus in ditionem redegit. Transalpinam ingressus, ex ea quoque Turcas, qui Valachis praesidio relictis erant, profligatos ejecit, et Vajvoda Bazardo, quo auctore, et adjutore Turcae in Moldaviam venire, dignitate privato, alium jussu regis

substituit. c) Post insignem hanc victoriam, de qua illi Pontifex gratulatus est, Moldavia et Valachia rursus in clientelam Hungariae redacta est. Quo loco mirari, scribit, cur Poloni Stephano Vajvodae, qui haud ita pridem, nempe anno 1470. homagium Casimiro eorum regi praestitit, d) suppetias non tulerint, cum tamen Casimirus diserte pollicitus sit, se terras Vajvodae protecturum esse. e) Id profecto non obscure indicat, Polonos agnovisse, jus suum in Moldaviam infirmo admodum talo niti, alioquin, si quod habuissent, laboranti Stephano, quemadmodum rex Mathias fecerat, opem adversus hostem aequitatis titulo ferre debuissent.

- a) Hujus facit memoriam Sixtus IV. Pont. in epist. an. 1476, die 20. Martii ad Vajvodam data. „Res tuae contra infideles Turcas, communes hostes, sapienter, et hactenus fortiter gestae, tantum claritatis tuo nomini addiderunt, ut in ore omnium sit, et consensu omnium plurimum lauderis. Noli igitur defatigari, sicuti facis, victoriam tibi ab Altissimo concessam prosequere.“ b) In haec enim verba ei Pontifex scripsit anno 1476. die 3. April. „Sequentibus vero annis in taxando subsidio, quod etiam auctore Domino tam Italos, quam Transalpinos Potentatus impensuros speramus, aliquid tuae Nobilitati particulariter decernere curabimus.“ c) T. I. prof. p. 18. circa finem ex prima serie, d) Exstat apud Dogiel T. cit. p. 602. e) Idem ibidem. Verba regis sunt: „Nos te, et terras tuas in nostram protectionem recipimus, et circa omnes dignitates, et jura omnia terrarum tuarum tamquam Palatinum relinquimus.“

*Continuatio §. 16-i.*

Ceterum Turcae jacturam, quam in Moldavia passi sunt, non longe post in Bessarabia compensarunt. Quamvis enim inducias cum Mathia rege inivissent; tamen dum hic bello austriaco adversus

Fridericum Imp. an. 1484. detineretur, facta in Valachiam irruptione provinciam hostiliter vastaverant, et in Bessarabia Kyliam arcem, veteres Achilleanam dixerunt — et Nester Albam, celebria praeteris loca, et praesidio hungarico munita, partim vi, partim deditione occuparunt. Id Mathias scriptis ad Bajazethem literis contra pactorum fidem esse factum questus est, a) Sultanus vero respondit Moldaviam, et Valachiam induciarum tabulis nequaquam fuisse diserte inclusam, uti ex exemplo, quod per oratorem suum se missurum pollicitus est, videre posset; itaque nihil a se per fraudem, et contra inducias commissum esse; occupata enim loca carius sibi constitisse, quam ut sine omni compensatione redderet; id se tamen mutuae amicitiae daturum, ut suos deinceps ab infestanda Moldavia, et Valachia abstinere jubeat. b) Mathias lectis induciarum tabulis, cum videret, Moldaviam et Valachiam iis omnino non contineri, ita adversus Petrum, archiepiscopum Colocensem, qui illas conscripserat, excanduit, ut eum carceri includi jusserit; tametsi Pontifex omnia egerit, ut regem ad mitiora flecteret. c) Videtur tamen Bajazethes serius postea Mathiae postulatim morem gessisse, cum utrumque castrum sub Vladislao ejus successore in potestate Hungarorum fuerit. Cum haec controversia inter Mathiam et Turcarum Imp. ageretur, Poloni ne quidem mutivere; quod satis indicio est, praetensionem eorum in Moldaviam nulli juris fundamento cum veritate inniti: Nec enim reges, si jus suum violari sentiunt, tacere solent, praesertim si vires non desint, ut certe Polonis eo tempore non deerant, quibus injuriam vindicare potuissent, quemadmodum Mathias, etsi vires suas in plures par-

tes distrahere coactus fuerit, tamen, ut jus suum tueretur, suam et clientis sui injuriam fortiter vindicavit. Haec paulo ante obitum Mathiae regis acta.

Pray. Annal. P. IV. p. 174. b) Ibid. p. 175. c) Ex Tabulario Camerae.

§. 17.

Mortuo Corvino cum Vladislaus, Alberti Poloniae regis frater, successisset, rursus Poloni juris quaestionem movere, et Stephani Vajvodae provincias, Poloniae vicinas, armis infestarunt. Id cum ob Turcorum viciniam et potentiam non Hungariae solum, sed et Poloniae periculosum esset, Vladislaus pacem inter utrosque, Polonis non invitis, anno 1499. die 14. Apr. conciliavit. a) Sed ii simplicitate regis abusi, condiciones ita concedere, ut jus in Moldaviam participatione quadam ad utrumque regem pertinere videretur. Pace in hunc modum Cracoviae signata, Albertus oratores Budam eodem anno misit, ut Vladislaus pacis condiciones ratas haberet. Haec earam summa fuit: b) Albertus Stephano Vajvoda in amicitiam recepto ab infestandis deinceps eius ditionibus abstineret, hic vicissim, si reges Turcis bellum obmoverent, comparato quam posset maximo exercitu Hungaros et Polonos per se se adjutum iret; si a morbo vetaretur, filium Bogdanum iisdem conditionibus obstrictum in sui loco mitteret, idemque, qui ei in provincia et magistratu succederet, facturum se jure jurando polliceretur: neve Turcis, per Moldaviam in Polonorum ditiones irrupturis, commeatum praerberet, regesque, siquod eatenus periculum esset, confestim de eorum molitionibus admoneret. Eodem foedere Alexander

Lithvaniae dux, regis utriusque frater, comprehenderetur, nullique sine mutuo consensu aut pacem cum Turcis sancire, aut bellum movere fas, integrumque sit. De subsidiis, quanto numero vicissim mitti debeant, in futuris comitiis transigaretur, interea operam datum iri, ut ceteri Principes in foederis christiani quoque communionem veniant. Si Turcae cum 10, aut 12,000 Hungariam, Poloniamque infestent, alterum alteri ex regibus suppetias missurum, sin contra ipse Bajazethes, aut Praefectus primi ordinis cum validiore exercitu bellum inciperet, reges per se se laborantibus affuturos. Ne quid autem doli Stephanus Moldaviae Vajvoda comminisceretur, Vladislaum pro eo fide jussurum esse. Ita consentientibus utrisque foedus Budae feria tertia ante festum Pentecostes vulgatum est. Regni autem ordines, cum viderent regis simplicitatem, et qui ipsi a consiliis erant, eo foedere, quo juri regio praejudicium creabatur, delusos esse, regem de commisso errore admonere non dubitarunt. Quo cognito, ut malo huic mature consulere, et Stephanum Vajvodam a Polonis ad se averteret, castrum Csycso in Transilvania situm cum fundis ad id pertinentibus eidem anno sequente, hoc est, 1500 donavit. c) Hoc dono conciliatus Vajvoda, terras, quas Poloni olim decerpserant, iterum suae ditioni subiecit. Inde lis inter Vajvodam et Alexandrum, qui fratri Alberto interea successerat, Poloniae regem oborta, quae ne in apertum bellum erumperet, Vladislaus arbitri partes in se recepit, — scriptisque ad Alexandrum literis pollicitus est, se Vajvodam eo permoturum, ut, quae occupaverat, sponte redderet, d) idemque, ut omni studio conarentur efficere, Legatis suis, quos



in Moldaviam id circo miserat, in mandatis dedit. e) Quo eventu lis terminata sit, compertum non habeo. Illud certum, Stephanum Vajvodam in utrisque literis „Vajvodam nostrum Moldaviensem, et fidelem nostrum,“ ab Vladislao dici, rege Poloniae nihil contra obmovente.

Moldavi exemplum secutus Mÿgne Vajvoda Valachiae, qui interventu Georgii de Bozÿn Vajvodae Transilvaniensis in clientelam Vladislai anno 1508. concessit; f) „paratus, ut rex in literis suis ait, una cum illo regno nostro, nobis, liberis et successoribus nostris, regibus Hungariae, ac huic sacrae nostrae coronae more Praedecessoram suorum perpetuo, fideliter, integre, et constanter, vel etiam melius servire.“ Quibus in literis rex rursus Stephanum exerte „fidelem nostrum Vajvodam Moldaviae“ compellat, quo axiomate etiam Bogdanum, Stephani filium, qui patri anno 1510. successerat, in suis ad omnes Hungariae provincias encÿclis literis anno 1511. promulgavit. g) Cum enim rumor increbresceret, filium Imperatoris Turcarum ex Cassa, Crimensi urbe, cum ingenti exercitu movisse, ac Urbem Nester-Fejÿvár, quasi dicas album castrum, ad Danastrum, obsidere, Tartaros vero prope Moldaviam consedissee, scripsit hortatu regis Poloniae ad omnes Comitatus, ut militem suum Transilvaniensis Vajvodae et comitis Temesiensis copiis ad juvandum Vajvodam celerrime conjungant. Notatu imprimis digna sunt illa regis verba: „Hortatur autem nos Serenissima fraterna Majestas, Dominus rex Poloniae, per suum oratorem, nunc apud nos agentem, ut salutare et necessarium auxilium Moldaviae regno nostro et toti christianitati

mature feramus — — Offert sua Majestas Serenissima pro zelo christianae religionis se in nullo penitus defuturum: praefatus vero Vajvoda noster Moldaviensis a nemine, quam a nobis ipsis dependet, et inde omne auxilium opportunum expectat, ob quod nobis vehementer supplicat. Cum ipse Rex Poloniae Vladislaum fratrem hortatus sit, ut Moldaviae regno suo succurreret, minime dubium est, Polonos praetensioni juris, quod in pacificatione anni 1499. sive participatione quadam cum rege Hungariae in Moldaviam arrogabant, cognita aequitate renunciassent.

- a) Exstat pacificatio apud Dogiel Tom. cit. p. 603. b) In diplomatario MS. Poloniae apud Sommersberg. Tom. II. c) Ex Tabulario Camerae. d) Supplem. p. 149. e) Ibid. p. 148. sed consule Tom. MS. 53. p. III. aversa: f) Tom. MS. 54. p. 9. g) Supplem. p. 150.

### § 18.

Nec sub Ludovico Wladislai successore quidquam controversiae Poloni obmoverunt; quin indubie constat, Moldaviam et Valachiam ei paruisse. Nam cum Selimus ingentes armorum apparatus faceret, et uterque Vajvoda sibi molem belli incubituram viderent, auxilium non a Sigismundo Poloniae rege, sed a Ludovico petiere, a) quemadmodum ejus literae ad Patrum suum Poloniae regem datae testantur. „Praesentientes itaque Vajvodae iam dictos Imperatoris conatus, nobis supplicarunt, ut eos in his periculis constitutos non deseramus, promittentes se viriliter, et constanter, fideliterque contra ipsos infideles pugnatos, si auxilio nostro non fuerint destituti; quibus nos omnem succursum polliciti sumus, revera ac in effectu nos succurrere volumus pro viribus nostris.“ Fiduciariorum autem esse solet, ab

iis, in quorum clientela sunt, si periculum instat, opem, et auxilium implorare, quod Domini quoque, qui homagium ab iis accipiunt, ex tacito quodam contractu praestare debent. Ceterum utramque provinciam Ludovico obnoxiam fuisse, luculentissimus testis est Brodericus, regis, et regni Cancellarius, qui in narratione cladis Mohacsianae a se edita in haec verba scribit: b) Majori Valachiae, quam Moldaviam appellant, Stephanus; minori, quam Transalpinam vocant, Radul imperabant, uterque regi Hungariae subjectus. Ignorasse autem Cancellarium jura regis nemo, ut reor, affirmabit. Et praestitit uterque Vajvoda fidelitatem regi cum alias semper, tum praecipue eo tempore, quo Solÿmanus Turcarum Imperator Belgrado et Petrovaradino captis, ad Dravum constitit, et Hungariae imminebat, cuius molitiones uterque per nuncios suos Ludovico summa fide significabant, c) et, nisi rex importuno Consiliariorum suorum svasu pugnandi tempus praecipitasset, auxilia quoque sua ad Mohacium adducturi erant. Hac enim de causa Urbanus Batyáni a Ludovico rege in Moldaviam missus erat, ut habet Brodericus in descriptione cladis Mohacsianae; quod sane factum non esset, nisi Moldavus Clientelari jure regi obnoxius fuisset. Quo minus autem Vajvoda Moldaviae subsidio venire potuerit, illud in causa fuit, quod Solÿmanus filium illius ad se accersitum in castris obsidem retinuerit, eodem Broderico teste.

- a) Pray P. IV. Annal. p. 15. b) Addita est haec Broderici narratio Bonfinio editionis Francof. anni 1581. p. 757. c) Teste libro expensarum regiarum anni 1526, in qua haec diserte leguntur; „Et eadem die (in festo S. Barnabae, seu 11. Junii) Joanni Churze, nuncio sp. et magnifici domini Vajvodaë Moldaviensis; qui ve-

nerat ad regiam Maiestatem cum certis novitatibus ex parte Turcorum, ad usum mensae, et equorum suorum dati sunt in diversis terminis in cupreis monetis fl. 32, qui in bona moneta per duos faciant fl. 16.“ Et paulo infra. „Eodem die, (feria II. post festum B. Joannis Bapt. seu 25. Junii) Joanni Zalančzy servitori domini Vajvodae Transalpinæ, qui venerat ad regiam Majestatem in certis secretis negotiis domini sui remisso cum relatione, pro expensis dati sunt in cupreis 96. fl. qui in bona moneta, duas pro una computando faciunt fl. 48.“ — Relatio a rege data verisimiliter ea fuerit, ut Transalpinus cum Transilvaniensi Vajvoda trajecto Danubio Thraciam infestarent, ut Brodericus in clade Mohaciensi scribit. „Sub idem, inquit, fere tempus rex factus est certior per secretum nuncium a quodam, cui hostis consilia, ac rerum eius status erat exploratissimus, nihil esse consultius, quam si Vajvoda Transilvanus cum Transalpino, nam et huius fides regi in hac parte explorata esse videbatur, vel a tergo aggredierentur hostem nihil tale cogitantem: vel illo recta contra regem tendente, ipsi junctis viribus Thraciam omni praesidio nudatam invaderent; ita enim fore; ut hostis vel opprimeretur in medio, vel certe ab incepto desistere, atque ad sua defendenda redire cogeretur.“ Sed salubre hoc consilium intervertit Vajvoda Transilvanus, erat is Joannes de Zapolya, qui regem de industria periculo objecit, ut illo caeso se regem faceret, ut Ferdinandus rex in proscriptione illius Albaeregali anno 1527. de II. Nov. fidem facit: „Ex eo, inquit, quod idem immemor fidei, et fidelitatis suae, quam Serenissimo condam domino Ludovico regi, fratri, et sororio regiae Maiestatis, domino suo naturali, debebat, ad tuendum, defendendum, ac protegendum caput, et personam ipsius regis saepius tam per literas, quam nuncios vocatus nequaquam venisse, sed potius post illius casum miserandum coronam regni Hung. quae curae et custodiae suae fuerat demandata, pro se usurpasse, vendicasse ac occupasse dignoscitur.“ etc.

## §. 19.

Ab infelici praelio ad Mohacsium commisso, in quo Ludovicus rex vitam palude mersus amiserat, regnum bifariam divisum intestinis factionibus laborabat; dum pars, eaque melior Ferdinandum I. Archiducem Austriae, alia vero Joannem Zapolyam regem eligerent. Contraria aemulorum studia fecere, ut Turcae, qui has turbas velut e specula intuebantur, animum sensim ad subjugandam Hungariam adjicerent, Joanne Zapolya, qui cum Solimano ope Hieronymi Lasky foedus inierat, occasionem suggerente. Moldavivis Hungarorum dissidiis, nullamque, si quod periculum a Turcis ingrueret, auxilii spem in iis collocantes, rebus suis inito cum Sigismundo rege Poloniae foedere consulendum censuerunt. Sancitum id fuit anno 1527 die 3. Decembris, itaque postquam et Zapolya, et Ferdinandus Albae-regali corona solenni ritu inaugurati fuissent. — Sigismundus tamen, quod Barbaram, Joannis Zapolyae sororem, olim in matrimonio habuerat, et Ferdinando ex pactis anno 1513. Viennae cum Maximiliano I. Imp. et Wladislao Hung. rege initis amicitia coniunctus esset, hac cautela foedus cum Petro Moldavo confecerat, ut jus regis Hungariae, utervis ex aemulis principatum obtineret, indemne esset. Cum enim praecipuum foederis caput in eo versaretur, ut communibus viribus, si Turcis bellum esset inferendum, ageretur, regem simul Hungariae foederi inclusum esse voluit: „Priusquam vero — pactionis verba sunt — generalem ejusmodi expeditionem contra caesarem Turcorum faciamus, nos Sigismundus rex una cum Serenis-

simo Domino rege Hungariae ipsi Jon Petro Voivodae, et ejus terrae Moldaviensi, contra eundem Caesarem Turcorum assistemus, et auxilium praestabimus. Similiter quoque Jon Petrus Voiewoda quaecunque interim audierit de Turcis, nobis illa, et dicto Serenissimo Domino regi Hungariae, quantum poterit, significare debet, et neque consilium, neque auxilium ipse Jon Voiewoda dabit Turcis adversum nos, sed quantum maxime poterit, erit illis inimicus.“ a) Itaque nihil quidem hac confederatione Hungariae regibus praejudicatum, quin ex eo etiam capite, quod Sigismundus sibi nequaquam homagium more decessorum suorum a Vajvoda praestari fecerit, non obscure proditum est jus regium in Moldaviam sartum tectumque ad id tempus penes Ungariam perstitisse. Deinceps vero, cum Turcae ditionem suam ex Bessarabia magis semper in Moldaviam proferrent, Solymanus dominium sibi in eam vi arrogabat. Primum ejus rei exemplum dedit, dum Petrum Vajvodam, quod Kyliam urbem, ab eo exustam suspicaretur, 1539. exauctoravit, substituto illi Stephano Valachiae Vajvoda, qui se Alexandri II. Vajvodae Moldaviae nepotem ferebat. b) Id tam Ferdinandus, quam Zapolya, quod laboranti Vajvodae subsidium ferre non possent, dissimulare cogebantur; ne tamen Moldaviam penitus deseruisse viderentur, post confectam inter se pacem, uterque operam dedit, ut exauctoratus Vajvoda, agente Tarnoviensi Comite, regi Poloniae conciliaretur. c) Hinc factum, ut Moldavi trucidato, quem Solymanus intruserat, Stephano, Petrum rursus in dignitatem pristinam reposuerint, d) luculento argumento, Solymanum nondum per id tempus ita invaluisse, ut absolutum in Moldavos

dominium obtineret, tametsi Turcae crebro antea Moldaviam infestis armis tentaverint.

- a) Dogiel Tom. cit. I. Diplomatarii Poloniae p. 615. b) Kantemirs Beschreibung der Moldau. p. 116. c) Conciliationis diploma extat apud Dogiel T. cit. p. 617.

§. 20.

Sed Valachia post infelix praelium Mohacsien-  
se, agente Radula Vajvoda, se Solymano dedit.  
Qua re Boërones, qui turcicum jugum impatien-  
ter ferebant, offensi, Vajvodam una cum filio  
trucidarunt, a) eique Moysem, a crudelitate post-  
ea in suos celebrem, substituerunt, qui an. 1550.  
cum Turcis Brassoviensem in Transilvania Urbem,  
quae cum plerisque Saxonum civitatibus Ferdi-  
nandi partes sequebatur, obsidione cinxit, vasta-  
taque vicinia non temnendum captivorum numerum  
in Valachiam abegit. b) Moyses non diu ab hac  
incursione rerum potitus, locum Petro, cogno-  
mento Argys, facere coactus est, qui tamen ipse,  
quod anno 1534. ad caedem Ludovici Gritti ope-  
ram suam contulerat, abductus est.

Ferdinandus quidem multum operae impen-  
dit, ut Moldaviam, in quam etiam a Turcis iam  
occupatam liquidum jus decessoribus erat, c) sibi  
assereret. Idcirco Georgium Reichersdorfferum ali-  
quoties ad Vajvodam legatione fungi jussit, d) quo  
autem successu, non liquet. Ex eventu tamen cer-  
tum est, operam frustra locatam fuisse, quod post  
Zapolyae mortem omnes cogitationes suas ad Tran-  
silvaniam, quam ille ab Hungaria avulserat, recu-  
perandam convertere necessum haberet. Qui co-  
natus sicut illi, quamquam Legati gallici summo

studio Constantinopoli adversum niterentur, e) feliciter in principio, ita deinceps ob inconstantiam Isabellae reginae, defuncti Zapolya viduae, minus prospere successit, quod Solymanus, suscepta viduae defensione, non modo Transilvaniam occupaverit, sed arma etiam in Hungariam converterit. Quare Ferdinando, licet non omnem spem de Moldavia poneret, ejusque Vajvodae Aaroni pensione annua faveret, magis tamen de conservanda Hungaria, quam recuperandis Hungariae provinciis, summa cura, quoad vixit, enitendum erat. Eadem sollicitudo successores Maximilianum II. et Rudolphum II. tenuit, donec sub postremo spes aliqua Moldaviae, et Valachiae recuperandae affulgeret. Quem in modum id evenit, paucis memorandum est: Sigismundus Báthory Princeps Transilvaniae obtenta crebro ex Turcis victoria, quos ut plurimum in Valachia et Moldavia profligaverat, quin et trajecto Danubio in Bulgaria armis persecutus est, occasionem asserendae sibi Moldaviae et Valachiae nactus est; easque, ipsis adeo incolis non invitis, quin volentibus, occupavit. Itaque ut has sibi, suisque successoribus stabiliret, pacta cum recens subjecta hac gente iniit, quibus deinceps utrinque staretur. f) Praecipua pactorum capita haec fuere: Primum Michaël Vajvoda cum suis fidelitatem Sigismundo ejusque successoribus jurarent, seseque in illorum potestatem traderent „cum omni absoluta jurisdictione meri mixtique imperii“ ad quod juramento praestandum omnes deinceps, qui electi fuerint, Vajvodae obligarentur. Horum electio Valachis quidem libera, sed confirmatio eorum penes Transilvaniae Principes esset, qui operam dabunt, ut Vajvodae vexillo militari, clava, et framea pro more gen-



tis inaugurarentur, adderenturque illis XII. Boërones, usu rerum, aetate, et experientia conspici, quorum consilio Vajvodae tam in litigijs causis, quam in omnium aliarum rerum administratione uterentur. De pendendo tributo ita conventum: ut quoties de eo in comitijs Transilvaniensibus ageretur, iis Legati etiam ex Valachia et Moldavia cum jure ferendi suffragii interessent, ita tamen, ut Valachi tam loco, quam voto priores essent Moldavis, qui communi dein studio decretum tributum in suis provincijs promulgarent, et quotannis rationes perceptorum, et expensorum proventuum Principibus Transilvaniae redderent. Ad haec donationes a prioribus Vajvodis factae in suo robore manerent. Causae secundum consuetudinem cuiusvis provinciae coram Vajvoda, et XII. Boëronibus judicarentur, exceptis duntaxat omnibus, et quibuslibet causis criminalibus, vitam et fortunas Boëronum concernentibus, qui carcere quidem teneri, non item capite privari absque scitu et voluntate Principum Transilvaniae possint. Ordo item ecclesiasticus, et monasticus in antiquo usu, consuetudine, ritu et ceremoniis relinqueretur. Haec generatim; singillatim autem constitutum: Principes Transilvaniae in literis titulum Moldaviae et Valachiae velut sibi proprium gererent, Vajvodis vero tunc scriberent: „Magnificus Dominus Vajvoda regni nostri Transalpinensis; qui, si titulo aliquando utendum esset, vocibus illis: Dei gratia, quibus potestas nulli alteri subjecta indicatur, absternerent, neque oppida, et quaecunque alia loca in publicis scriptis sua nominare auderent. Vajvodae deinceps in Consiliariorum numero Principum Transilvaniae locum habebunt, qui familiae

sigillo utentur, non item regni, quod apud Principes Transilvanos relinquetur. Nec licebit post-hac Vajvodis sive per se, sive per legatos cum externis Principibus et populis sine permisso et facultate Principum Transilvaniae ullis de rebus agere. Principes autem Transilvaniae vicissim spondebunt, se omnibus viribus, pecunia, tormentis bellicis, et pulvere tormentario, ac denique omni bellico apparatu Valachiam et Moldaviam contra omnes hostes defensuros, et secundum haec pacta et conventa administraturos esse. Michaëlis et Valachorum exemplum paulo post Moldavienses secuti sunt, quorum Vajvoda Stephanus missis in Transilvaniam legatis fidelitatem, et subjectionem in easdem, ut Valachiae Vajvoda, conditiones Sigismundo principi promiserunt.

§. 22.

Hoc modo Moldavia et Valachia a tyrannide Turcorum Sigismundi virtute eliberata, et ad Rudolphum II. jure pristino legitimum Dominum sensim devoluta est. Occasionem ipse Sigismundus praebuit, qui incertum, an quod nullam ex Christierna prolem suscepit, an otio fruendi percupidus, Principatum Transilvaniae cum omni jure illi adnexo cedere Rudolpho constituerat. Quam obrem ipse Caesarem Pragae commorantem anno 1597. adiit, cum quo de tradenda illi provincia agebat. Non abnuit Rudolphus, et licet de illius animi constantia dubitaret, sequente tamen anno Martinum Pethe, episcopum Varadinensem, ex Hungaria, ex Bohemis vero Adamum Popelium, in Transilvaniam misit. qui cum illo, oblatis,

praeter summam quotannis pendendam, duobus Silesiae ducatibus, Opuliensi et Ratiboriensi transigerent. Sigismundus indictis Comitibus re cum regnicolis collata, cessionem Transilvaniae ratam habuit, ordinesque in manibus Legatorum, qui alii recens Vienna advenerant, juramentum fidelitatis Rudolpho, et ejus successoribus, Hungariae regibus, deposuerunt, a) et hi vicissim nomine Caesaris jusjurandum statibus dixere. Legati post receptam in fidem Transilvaniam etiam de Valachia vi foederis (§. 20.) cui illa cum Moldavia illigata erat, juri regio pristino asserenda solliciti, ad Michaëlem Vajvodam Tergovistium abiere, ubi post collata saepe cum illo consilia receptaque tam a Vajvoda, quam primoribus provinciae juramento fidelitatis, b) in has condiciones utrinque transcriptum est: Vajvoda Rudolphum pro legitimo Domino agnoscat, et Caesar vicissim Valachiam Michaëli ejusque filio Petraskoni, eorumque sexus masculini rectae lineae successoribus, tanquam veris vasallis, et feudatariis haereditariam conferat, absque ulla tributi, aut census alicujus solutione; ita tamen, ut Vajvoda, ejusque successores munus honorarium Caesari, suisque in regno Hungariae successoribus quotannis debeant. Si autem ipsum Vajvodam, ejusque filium sine haerede masculino obire contingeret, tunc Caesar, ejusque successores indulgebunt, ut provincia haec Vajvodam ejusdem gentis, et religionis possit eligere, electionis tamen praerogativa penes Caesarem Majestatem, suosque successores esset, qui electo et confirmato Vajvoda aliquam in Hungaria vel Transilvania arcem cum proventibus assignet, ex quibus, si quid periculi immineret, vitam cum dignitate honeste possit transigere. Transfugae ali-

cujus criminis rei a neutra parte reciperentur, milites vero, qui percepto stipendio ad alterutros secederent, bona fide redderentur. Mercatoribus, si id Transilvanis civitatibus non fuerit noxium, libera sit negotiatio, ea tamem, quae de jure sunt, rite persolvant. In religione, cui in Valachia haecenus dediti erant, nihil immutetur, nec quisquam ad aliam amplectendam vi, doloque cogatur, sua etiam ecclesiastico ordini servetur consuetudo immunis, intactaque, et Nuncii vel Legati Vajvodarum, si qui ad Caesaream Majestatem, vel Archiducem Maximilianum missi fuerint, mature digneque, ut rei, et negotiij conditio et gravitas postulaverit, dimittantur. Actum etiam de subsidiis ad continuandum, quod jam in sextum annum duraverat, bellum Turcicum, cuius causa vel quinque millia militum, vel tantum pecuniae, ut totidem ali possint, se impetraturos Legati promiserunt; interea autem, ut Istvanfius, unus de legatorum numero memorat, c) decem aureorum millia Vajvodae consignata sunt, licet ipse in literis recognitionis de valore septem decim millium et 500 florenorum hungaricorum mentionem faciat. Atque haec transactionis summa fuit. Succurrit mihi tamen dubitare, an Legati mandata a Rudolpho habuerint, quibus Valachiam a pendendo tributo et censu annuo immunem pronunciare potuerint. Siquidem, ut nihil de vetusto Hungariae regum in eam provinciam jure dicam, certe constat, ex pactis cum Sigismundo Báthory initis (§. 20.) Rudolphum occupata Transilvania ita successisse, ut quemadmodum articulus secundus pactorum diserte habet: „decedende sine haeredibus masculis ipso Principe, vel illis superstitibus, et in hac ejus linea legitimaef deficientibus, Transil-

silvania eique adnexae ditiones non in alterius jus, quam suae Majestatis, ejusque successorum Hungariae regum ditioem, et potestatem — — absque ulla controversia pervenire debeant.“ Ad nexas autem Transilvaniae ditiones non solum eas, quae in Hungaria sitae erant, sed Moldaviam quoque, et Valachiam pertinuisse, declaravit per Legatos ipse Sigismundus in primo, quam proposuerat, transactionis capite his verbis: „in qua tractatione non tantum Transilvania cum appertinentibus ei regionibus; sed et utraque Valachia, quae ex voluntate Sigismundi Bathorei Vajvodae Transilvaniae, jam a Turcorum servitute se subduxit, includi debeat.“ — Jamvero constat, Valachiam ita fuisse subjectam, ut Sigismundo tributum penderet, cum inter alia cum Michaële Vajvoda ita conventum fuerit: „quod ad regni Valachiae proventus attinet, de iis ita constituimus, ut quotiescunque per Serenissimum Principem nostrum in regno suae serenitatis Transilvaniae Comitata indicentur, ex hoc quoque regno Transalpiensi delegati ad eadem comitata expediantur, qui ad voluntatem serenitatis suae, et suorum successorum, pro necessitate tributa imponere debent.“ Cum igitur Rudolphus Sigismundo in solidum successerit, et huic Valachi tributum solvere debuerint, merito dubitari potest, an legati potestatem habuerint, illos ab hoc praestando immunes et liberos reddere, nisi forte in privata eorum instructione, quae mihi nunquam visa est, aliter a Caesare, quod vix svaderi potest, constitutum fuisset.

a) Bethlen Hist. Trans. p. 635. b) Supplem. p. 155. c) Istvánfy Hist. Libr. 31. p. 444.

## §. 25.

Utcunque autem id fuerit, Sigismundus haud multo post, quam e Transilvania in Silesiam concessisset, poenitentia ductus, eodem anno 1598. in Transilvaniam rediit, et Bocskayö agente, ab ordinibus receptus, ac conjugii suae conciliatus est. Quod ut Rudolphus ratam haberet, semel iterumque ad eum Claudiopoli scripsit, conquestus, commutationem Principatus Transilvaniae pro Opulensi et Ratiboriensi aequitati haud fuisse consentaneam, et pro tam insigni provincia, inquit, casas, pro fertili solo arenam, pro palatiis magnifice ornatis nudos ruentesque parietes, pro glorioso et laudabili facinore crimen insaniae, pro rerum mearum egregie gestarum gloria infamiae turpitudinem, et Christiano Principe indigna convitia consequutus sum.“ — Rudolphus Sigismundi inconstantia offensus, Maximiliano fratri copias commisit, ut hanc injuriam vindicaret; sed cum is rem languide, et parum prospero successu egisset, Turcae praeterea non habita induciarum ratione in Banatu arma circumferrent, et exorta inter Hungaros factio Mathiam regem, se adhuc vivo, praeter fas elegisset, omne studium de recuperanda Transilvania, et Valachia paulatim refrixit. Successere postea turbulenta tempora sibi ordine succedentia, Bocskaiana, Bethleniana, Tököliana, et Rakocziana; Turcarum item majores in Hungaria progressionem, quae Rudolphi successoribus plus negotii facessiverant, quam ut de alia re cogitare possent, quam de conservanda Hungaria, et a Turcarum jugo penitus eximenda;

quod tandem sub auspiciis Leopoldi Caesaris feliciter evenit, sub quo post recuperatam Transilvaniam, Serboni Cantacuzeni Valachiae Vajvodae vidua se una cum provincia in ejus clientelam recepit, suumque filium pro successore in Principatu commendavit. Caesar preces viduae ratas habens, literas ad eos, qui militiae isthic praeerant, dedit, quibus viduam cum provincia in clientelam a se receptam declaravit. Impediri tamen non potuit, quin Brancovanus primas sibi in Valachia arrogaret, viduaeque molestus esset. Quare haec ab Eleonora Leopoldi conjuge scriptis literis opem petiit, rogavitque, ut filius suus patri in Vajvodatu subrogaretur. Imperatrix omnem, quantum in se esset, operam se daturam scriptis literis pollicita est, ut ejus voluntati et precibus ab Imperatore satisfaceret.

#### §. 24.

Si omnia, quae hactenus dicta, et quae hactenus partim Scriptorum coevorum autoritate, partim publicis documentis firmata sunt, sub unum conspectum ponamus, minime dubium est, quin haec corollaria consequi necesse sit.

I. Valachiam jam initio saeculi XI. sub S. Stephano post devictum Achtumum constitutis ad Zevrinum Banis, qui provinciam regio nomine curarent; Moldaviam vero in exitu ejusdem saeculi (§. 3.) Hungariae regibus obnoxiam, indeque titulum regis Cumanorum, seu Moldaviae (§. 1.) a nostris regibus, quo jus suum in eam provinciam testarentur, assumptum fuisse; concessa tamen facultate eligendi ex sua gente Principis, a regibus confirmandi.

II. Jus in Moldaviam fuisse constabilitum, dum Princeps Cumaniae ob irruptionem Tartarorum secum suis in clientelam regum Hungariae, penitus, et sine exceptione dedit (§. 4.).

III. Praeterea domini suprematum in Moldaviam et Valachiam Regibus Hungariae competiisse, liquet ex eo, quod Bela IV. dominium utile tam Valachiae, quam Moldaviae Hospitalariis ad certum tempus (§. 5.) inscripserit. Quo

IV. Evolutò rursus ad reges nostros in solidum rediit. Nec prius quidquam ad excutiendum jugum, quamquam nullo successu, ab incolis utriusque provinciae tentatum est, quam sub Ladislao Chuno, et Carolo Roberto (§. 7.); quorum tamen studio rebelles ad obedientiam redire coacti sunt, et Bessarabia, extremus Moldaviae angulus, in potestatem redacta.

V. Sub Ludovico quoque Vajvodae, tam Valachiae, quam Moldaviae stricto sensu vasalli fuisse, qui licet obedientiam detrectare conati sint, tamen a Ludovico partim armis domiti, partim autoritate permoti (§. 8.) regem pro naturali domino agnoscere compulsi sunt.

VI. Motuum, qui adversus Carolum Robertum et Ludovicum a Valachis et Moldavis concitati erant, nullam aliam fuisse causam, quam quod uterque rex Pontificum svasu, et unionis zelo ducti, religionem gentis mutare voluerint. Hinc serius postea, quoties ad clientelam rediere, toties partes insertum volebant, ut nihil in religione eorum (§. 21. et 22.) innovaretur.

VII. Licet autem subditi utriusque provinciae aliquoties regibus nostris rebellarent, tamen nemo exterus Princeps jus sibi in Valachiam et Moldaviam arrogabat prius, quam Maria, Sigismundi



regis uxor, mortua esset: a cujus obitu (§. 9.) Poloni jus succedendi tam in Hungaria, quam et connexis provinciis, quales Valachia et Moldavia erant, ad Hedvigem, Mariae sororem et Wladislai Poloniae regis conjugem, translatum esse contendebant, et homagium ab utroque Vajvoda exceperunt.

VIII. Verum cum ea praetensio partim falso, partim iniquo fundamento (§. 10.) innitatur, et Sigismundus suum jus non solum armis, sed facta etiam conventionem tuitus fuerit (§. 11.); nihil propterea juri regum Hungariae in utramque provinciam praejudicare potuit, aut etiam praejudicatum est.

IX. Post Polonos jus regum in Valachiam Turcae armis impugnare aggressi, occupataque minore Nicopoli sedem isthuc figere conati sunt, quos tamen Sigismundus praelio victos inde ejecit (§. 12.) constitutoque suo arbitratu Vajvoda provinciam retinuit. Quo mortuo

X. Rursus Turcae in Valachiam et Moldaviam dominium armis sibi asserere nitebantur; verum victi et profligati, utrinque excedere coacti, et utriusque provinciae Vajvodae clientelam de novo professi sunt.

XI. Et quamquam iidem Turcae saepe alias, ut sub Ladislao Posthumo (§. 14.) tum sub Mathia Corvino (§. 15. et 16.) item sub Wladislao II. praeter Turcas etiam Poloni (§. 17.) ac denique sub Ludovico II. (§. 18.) utramque provinciam infestarunt; tamen in fide regum Hungariae constanter persistere usque ad cladem Mohachiensem, postquam armis Turcorum oppressa, jugum eorum subire coacta est, regibus Hungariae frustra adversum obnixis. (§. 19.) Donec

XII. Sub Rudolpho II. una cum Transilvania (§. 20, 21, 22.) tam Valachia, quam Moldavia iterum juri regio asserta, et non obstante Sigismundi Transilvaniae Principis (§. 27.) inconstantia, eousque conservata est, quousque domestica, et externa bella regum nostrorum studia non aliorum avocassent, Turcaeque potioem Hungariae partem occupassent, quibus tandem sub Leopoldo penitus ex regno exactis, Valachia quidem occupata, sed obortis turbis domesticis rursum amissa, ejusque pars usque ad Alutam porrecta, quae pace anni 1718. nostris cesserat, amisso Belgrado Turcis restituta est, qui cum utramque provinciam jure armorum, quae nulla justa de causa obmovere, teneant, eodem prorsus armorum jure, sed aequioribus causis et pristina juris praerogativa suffulto, ex utraque etiam exigi possunt. Quod quidem eo magis

## §. 25.

Optandum est, quo majores, si legitimo domino parerent, fructus, quam sub Turcis, ex utraque ditione in rem publicam manaturi, percipi possent. Moldavia profecto rerum omnium, quae ad vitae humanae non modo necessitatem, sed commodum quoque pertinent, abundantiam praebet. Primum enim, si, quae sub terra habent, in considerationem veniant, dubium non est, quin varii generis mineras contineat. Certe fluvii, qui ex montibus oriuntur, auri purissimi arenas ea copia vehunt, ut, qui his colligendis destinati sunt, levi labore 1600. drachmas quotannis conjugii Principis dono offerant. Non procul a Niestro fluvio natura ferreos globulos profert, qui nullo

alio adhibito artificio, implendis sclopiis idonei sunt. Salem lapideum fere ubique, praesertim autem in Totruschiensi Tractu, si terra ad unam aut aliam ulnam egeratur, reperire est, qui claritate crÿstallum aequat, et magno tam Principis, quam incolarum lucro navibus in exteras terras copiose evehi solet. Nec minor copia est Salnitri, quo fere totius provinciae terra impraegnata est, et pene in omni loco ab incolis, levibus impendiis, excoquitur. a) Haec in terrae visceribus; extra autem in superficie multo feracissima est Moldavia, frugum imprimis: triticum vicesies quater, siligo tricesies, hordeum sexagesies, milium trecenties fructum cum foenore reddunt; contra vero avena rara est, quod incolae equos suos hordeo soleant alere. Hortis pene omnis consita est regio, qui omnis generis leguminibus, fructibusque abundant; quin integras etiam silvas videre est; quae fructus, licet praestantia hortensibus inferiores, uberrimos tamen ferunt. Vini ingens copia; illud tamen, quod inter Cotuar et Danubium versus meridiem crescit, et quod in districtu Falzensi colligitur, praecipuam laudem habet, et a Russis, Polonis, Cosacis, quin a Transilvanis quoque et Hungaris, ob pretii levitatem, copiose effertur. Ad haec silvae amplissimam ubique, et praestantissimam lignationem, praecipue tamen in Cotuarensi et Kiegetensi tractu, praebent. Quercus Moldava, si ab interiore albo cortice liberetur, centum etiam annis omnes injurias aëris et aquae incorrupta perfert, qua de causa fabricandis navibus opportunissima est, et ab exteris studiose conquiri, magnoque pretio comparari solet.

Cum Moldavia silvis et agris abundet, primum est conjicere, illam nec feris, nec domesti-

cis animalibus carere. Cervorum et caprarum pas-  
 sim integri greges solent vagari, vulpium etiam,  
 Lyncium et Mardurum ingens multitudo est, nec  
 desunt lupi, quorum pelles post moscoviticas in  
 pretio habentur. Ut nihil de armentis cornutorum  
 pecorum, quae sane copiosissima sunt, dicam;  
 oves Moldaviae considerationem in paucis meren-  
 tur: Duplex illarum genus est, sylvestrium et do-  
 mesticarum; illarum carne, et harum lana magnum  
 incolae lucrum conficiunt: ex illis supra sexagin-  
 ta millia quotannis Constantinopoli ad Sultani cu-  
 linam aguntur, quod caro sit egregii saporis et  
 concoctu facillima, lana autem ingenti copia per  
 Transilvaniam et Hungariam in exterarum regio-  
 nes exportatur. Boum autem tam in montana, quam  
 plana regione, quorum illi statura minores, hi  
 autem majores sunt, tanta est multitudo, ut sin-  
 gulis annis supra 40,000 per Poloniam Dantiscum,  
 et hinc porro pellantur, quod quanto cum lucro-  
 fiat, inde licet colligere, quod par boum in Mol-  
 davia 3 et 5 imperialibus emtum, foris etiam 50.  
 imperialibus facile distrahatur. Praecipue autem  
 equi Moldavici apud exteros laudem habent. Mon-  
 tani corpore quidem exiles, et Russicis similes sunt,  
 sed duris laboribus maxime idonei, et tam solido  
 pede, firmoque gressu, ut, quamvis per scrupo-  
 sissima loca creberrime commeent, tamen soleis  
 non egeant. Qui vero in planitie educantur, sta-  
 tura majores, forma et justa partium proportione  
 elegantissimi sunt, nec facile aliis celeritate et du-  
 rabilitate cedunt, ut adeo non modo vicinis, ut  
 Polonis et Hungaris, sed ipsis etiam Turcis in  
 maximo pretio sint, unde apud hos proverbium  
 vulgo natum: equo Moldavico et Persico juvene  
 nihil praestantius elegantiusve est. Ad haec in li-

mitibus Moldaviae ingentes sylvestrium equorum greges vagantur, qui a domesticis nihil differunt, quam quod ferociores et paulo minores illis sint, tum ungulas unius spitamae gerant, quod decori illorum multum detrahit.

Nec apum cultura apud Moldavos in postremis est, quod tam silvae, quam horti et prata copiosos et fragrantissimos flores producant, ex quorum sedulitate postea copiosum mel, nobilissimamque ceram colligunt, et bono cum lucro distrahunt, quod sine dubio multo amplius esset, nisi cautum foret lege patria, ut quisque tot solum colat aluearia, quot fundus cujusque sine alterius detrimento alere posset. Haec ex Demetrii Cantemiri Moldaviae Principis Historia ejusdem regiminis excerpta.

Valachia secundum omnes articulos paulo ante dictos cum Moldavia convenit, ut Baur, qui tempore belli turcici diu eam regionem incoluit, et diligenter perscrutatus est, in suo opere (*Memoires Historiques, et geographiques sur la Valachie*) memorat. Metallorum tamen magis, quam Moldavia, qua parte Transilvaniae montes contingit, ferax est, cum praeter auri venas, etiam argenti, et omnium fere metallorum extantissima indicia visantur; nullas tamen tota regione fodinas videre est, partim quod incolae artem illas colendi ignorent, partim quod Turcarum avaritia et cupiditas eos ab istis colendis deterreat. Ceterum utraque regio non modo ob copiam fluviorum, qui in Danubium exonerantur, sed omnium rerum etiam abundantiam, situmque vicinarum regionum mercibus evehendis aptissima est, quae secundo Danubio in Euxinum, hinc in Crimaeam, porroque ad Asiae interiora perferri possunt.

Diplomata Jus Regni Hungariae in provinciis has adnexas confirmantia.

*I. Jus Hungariae in terram Moldaviae, ac partes Transalpinas. A. 1401.*

Sigismundus Dei gratia, Hungariae etc. Rex, Marchio Brandenburgensis, S. Romanorum Imperii Archi-Camerarius, nec non Bohemiae et Lucenburgensis haeres etc. Omnibus Christicolis, praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris salutem in salutis largitore et pacis. Quoniam ea, quae Principum sanctione definitive terminantur, et praesertim quae legum imperatrix regia pertractat authoritas, perpetuo illibata permanere et semper inconcusse debent observari, ne falsitas veritati praevaleat, et iniquitas praejudicet aequitati, illa litterarum regalium vivacitate convenit solidari, ut non labantur cum tempore, quae in tempore congesta pariter et patrata fuere. Sane ad Universorum notitiam litterarum harum serie volumus pervenire: Quod etc. — Praeterea vero ad territoria terrae nostrae Moldavanae, nobis et subditis nostris hostiliter indefesse resistentis et rebellantis, nostro valido instaurato exercitu, praefatus vir Magnificus, Stephanus de Kanysa, pro tunc Comes Sicularum nostrorum existens, cum suis complicibus et gentibus ac Siculis nostris ante ingressum nostrum ad dictam terram Moldavanam, ut accessus noster tutior praeesset, potenter irruens, et plurima nocumenta, incendia et praedam grandem ibi perpetrans, nobisque confestim per reliquam viam, et ipso Do-

mino Joanne Archiepiscopo cum sua armigera comitiva nobis fideliter et jugiter assistente, ad dictam terram Moldavanam progredientibus, idem Stephanus Comes Siculorum ad nos regrediens, et viam magis tutam nobis attribuens, variosque conflictus in alpibus et indaginibus densis, cum ipsis Olahis et Stephano, Wayvoda eorum, viriliter committendo, et sic in terram Muldwanam antefatam circa larem seu domum propriae residentiae ipsius Stephani Waywodae, Domino coadjuvante, fuimus castra metati, et annotatus Stephanus Wayvoda cum suis complicibus et Olahys universis ad nostra servitia, venia prius et gratia de inobedientia et negligentia suis a nostro culmine potestatis petitis et obtentis, iugiter fideliterque explenda, donaque solita nostro Fysco regio in recognitionem Domini naturalis, temporibus congruis persolvendo, humiliter se inclinavit, et subdere studuit effective, litteris vigorosis, juramentoque exinde praestito vallans se ipsum cum suis complicibus in omni fidelitate et obedientia propensius obligans in praemissis nostrae Majestati. Praeterea his laudabiliter cum ipsis nostris fidelibus jam finitis et solidatis, post ingressum nostrum ad regnum Hungariae factum, instaurato per nos et praeassumpto exercitu in Partes Transalpinas, ubi Olahorum et Turcorum nobis et regnis nostris obesse satagentium et insidiantium valida versabantur agmina, annotato Viro Magnifico Domino Stephano de Kanysa, personaliter proprium vexillum, suorum videlicet, et dicti Magistri Tavernicorum nostrorum, fratris ejusdem Carnalis, tunc ad regem Franciae, et caetera loca Italiae, in arduis nostris et regni nostri agendis et legationibus per nos destinati, et per ipsum

ad nostri honoris incrementa eisdem deductis et prosecutis, numerosa multitudine gentium armigerarum copiose stipatum habente, vestigijs nostris et obsequiis continue insudando ingressum facientes; ipsos Olahos et Turcos cum ipsorum Praecessoribus et Capitaneis in fugam convertentes versus castrum Nicopolis nuncupatum, in dictis partibus Transalpinis situatum, erga manus ipsorum habitum, expugnando, et cum maxima cruoris effusione quorundam nostrorum fidelium, nece praesertim ipsius Magnifici viri Stephani de Kanÿsa complicum, inibi ferventer dimicantium, et lethaliter sauciatorum sanguinis effusione, Christo adminiculante, obtinuimus, et nostrorum castellanorum manibus prorsus duximus applicandum et relinquendum. — — In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes commisimus litteras privilegiales pendentis et authentici sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Verum quia idem Dominus Joannes Archiepiscopus Strigonien. nostri Cancellarius fungitur officio et honore, apud quem utrunque par maioris sigilli nostri authentici habetur, posset fortasse exinde nonnullis haesitationis scrupulum et nodus ambiguitatis oriri et generari, ad removendum igitur et tollendum cujuslibet haesitationis et dubietatis nodum et scrupulum praesentes praedicti sigilli nostri maioris et authentici dupplicis munimine roboratas, sigillis authenticis fidelium nostrorum, Magnificorum virorum, Dominorum Detrici Bebek de Pelsewcz, regni nostri Hungariae Palatini, nec non Comitum Frank, filij condam Konÿe Bani, de Zechén, Judicis Curiae nostrae, penes idem sigillum nostrum authenticum hinc inde appensis firmiter communiari, in fidem et robur firmitatis omnium et singu-



lorum praemissorum. Datum per manus ejusdem Reverendissimi in Xto Patris et Domini Dni Joannis de Kanÿsa Archiepiscopi Almae Ecclesiae Strigon. locique ejusdem Comitis perpetui, nec non Primatis et Aplicae sedis Legati, ac aulae nostrae regiae supremi Cancellarÿ, dilecti nostri et fidelis. Anno Dni MCCCCL. tredecimo Kalendas Martÿ regni autem nostri quatuor decimo. Venerabilibus in Xto Patribus et Dnis Valentino, tituli Sanctae Sabinae SS. Romanae Ecclesiae Presbitero Cardinali, et Ecclesiae Quinque Ecclesiensis perpetuo gubernatore, ac eodem Domino Joanne ipsius Strigon. Colocensi sede vacante, Andrea Spalaten. et altero Andrea Ragusiensi Archiepiscopis, Luca Varadien. Nicolao electo Transilvano, Eberhardo Zagrabien. Thoma Agriensi, Joanne Bosnensi, Michaële Weszprimien. Joanne Jaurien. sede Vacienti vacante, Petro Nitrien. Fratre Gregorio Chana dien. Sirmiensi sede vacante, Grÿsogono Tragurien. Francisco Scardonon. Ladislao Tinninien. Joanne Nonensis, Antonio Sibinicen. Nicolao Corbavien. et Leonardo Segniensis, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Nec non Magnificis viris eodem Detrico Bebek regni Hungariae Palatino, Styborio de Styborich Wayvoda nostro Transilvano et Comite de Zonuk, Comite Frank, filio condam Konye Bani, Judice Curiae nostrae, Nicolao de Gara Dalmatiae et Croatiae praedictorum, ac totius Sclavoniae et Joanne de Maroth Machoviensi Banis, honore Banatus Zewrinyen. vacante, Georgio, filio Jakch, de Gusal Tavernicorum, Stephano de dicta Kanÿsa, Janitorum, Joanne Groff Dapiferorum, Emerico de Perén Pincernarum, Joanne filio Magistri Ladislai, filii condam Comitis Stephani Bebek, Agazo-

num nostrorum Magistris, eodem Stýborio Comite Posen. alýsque quam pluribus regni nostri Comitatus tenentibus et honores.“

Ex archivo Camerali.

*II. Jus Hungariae in Bulgariam et Valachiam. A. 1391.*

Sigismundus Hungariae — Bulgariaeque Rex etc. — Porro nobis in anno proxime retrólapso, una cum plerisque Praelatis, Baronibus ac Proceribus regni nostri cum valido exercitu adversus saevissimos Thurcos ac ceteros paganos regni nostri et nostros aemulos extra et ultra terminos antefati regni nostri pro ejusdem firmiori tuitione eminus proficiscentibus et cum eisdem Turcis ac Scismaticis citra ambitum regni nostri Bulgariae, per eosdem Turcos vi occupati, bellica certamina aggređientibus, ibique fortuna prohdolor! nobis novercante et minime arridente — Post varios conflictus personales in alpibus et indaginibus densis, cum ipsis Olahis et Stephano Waywoda eorum, sic et adeo perhibemur habuisse, ipso etiam Domino Joanne Archiepiscopo cum sua armigera Comitiva lateri nostro fideliter inibi adhaerente, ut nobis in terram Moldvanam antefatam, ad locnm scilicet residentiae ipsius Stephco Wayvodae personaliter Domino adminiculante ingredientibus, illico adnotatus Stephko cum suis complicibus Olahis universis ad nostra servitia, veniam prius de inobedientia et negligentia suis a nostro culmine postulatis, et enactis, fideliter explenda datiaque solita nostro Fisco in recognitionem Domini nostri naturalis, temporibus congruis persolvenda, humiliter se ipsum inclinavit, et subdere maluerunt effective, litteris vigorosis et

juramentis exinde praestitis se ipsos obligantes in praemissis nostrae Majestati. — Datum per manus praefati Domini Joannis de Kanysa etc. Anno Domini MCCCXCI. quarto nonas Mensis Martij regni autem nostri anno undecimo. Venerab. etc. Nec non Magnificis viris etc. ante fato Nicolao de Gara praefatorum regnorum nostrorum Dalmatiae Croatiae, ac totius Sclavoniae, Joanne de Maroth et Petro de Perén Machoviensibus Banis etc.

Ex archivo Camerae regiae Hungarico-aulicae. Integrum vide in codice Diplomatico.

*III. Jus Hungariae in partes Transalpinas, A. 1427.*

Nos Sigismundus, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis: Quod nos, qui ex innata nobis regia liberalitate cunctorum Celsitudini nostrae fideliter obsequentium merita et actus virtuosos digne retributionis bravio metiri solemus, eosque exinde praemiis decorare donativis, cunsiderantes, et in nostri cordis armario digne premetitis praeclaris fidelitatibus, et fidelium servitiorum meritis et actibus virtuosis fidelis nostri Joannis, filii Leukes de Kallo, quibus ipse sub banderio fidelis nostri, dilecti, magnifici viri, Joannis de Maroth, alias Machoviensis Bani, Domini sui, in praesertim partibus nostris Transalpinis, vna cum eodem Domino suo contra perfidiae alumnos, puta Turcos, crucis Xti, et totius orthodoxae fidei dirrissimos persecutores, nostros scilicet et regnorum nostrorum aemulos, qui quemdam notorium et

et infestum nostrum, Infidelem, Radul Praznaglova cognominatum, in Wajvodam ipsarum partium nostrarum Transalpinarum, in nostrae Majestatis despectum praeficere, fidelem vero nostrae Celsitudinis, sincere dilectum Spectabilem ac Magnificum Virum Dan, jam dictarum partium nostrarum Transalpinarum Wajvodam. per nos constitutum, dominio earundem privare et de eisdem excludere machinabantur, se plerisque vicibus fortuitis casibus viriliter exponendo et imminentibus periculis submittendo, totis nisibus nobis, nostroque sacro diademati regio, adeo studuit complacere, seque gratum reddere, valde et acceptum, ut ipsius Joannis Bani ingeniosa sagacitate, per vigili diligentia, et actibus strenuis, dictique Joannis et aliorum familiarium Eiusdem Joannis Bani obsequiosa opera principaliter, recuperandi dictas partes nostras Transalpinas, et a dictorum Radul et Turcorum hostilibus incursibus tutandi viam specialius praebuerunt; per huiusmodique laudabilia servitiorum opera, et ex aliis ingeniosis ac virtuosis actibus ipsius Joannis Bani et dictorum familiarium suorum, nobis abinde versus partes nostras Transalpinas redeuntibus, ipsoque Joanne Bano, et praedicto Joanne, ceterisque familiaribus et gentibus suis more exercituantium, in eisdem partibus nostris Transalpinis de speciali nostrae Majestatis mandato remanentibus, praedictisque Radul Praznoglava et Turcis inde aufugientibus, praedictus Danus Wayvoda in dominium hujusmodi sui Wajvodatus votive extitit restitutus, et plurimi etiam ex incolis ipsarum partium nostrarum Transalpinarum, puta Valachi, qui partem ipsius Radul Pranzglova et victorum Turcorum fovent. a verae fidelitatis tramite aberrando declinauerunt, hu-

jusmodi eorum erroneis processibus derelictis, ad debitae fidelitatis nobis et sacro nostro regio diademati observandae constantiam redire sunt coacti; praetextu quorum cupientes memoratum Joannem ad praesens, prout gratiarum affectibus largius intendimus in futurum, alicuius regiae munificentiae antidoto consolari, omnia et singula iura nostra regalia, quae haberemus, seu nostram in infrascriptis possessionibus Vasaros Kallo et tributo ibidem exigì solito, ac praediis Bangetheleke, Kistheleke, Felegház, Aldotkuttheleke, Tüzteke, Megyestheleke, Dorogeghaz, Fenesor, Symegház, Mandtheleke, Nyiresteleke, Pogansur, Zilosteke, Ekerithoteleke, Rosteke, ad dictam possessionem Vasaroskallo pertinen. nec non possessione Nagy Semjen. ac similiter praediis Kozmateleke, Miklosteleke, Sz. Mihályteleke, Philepallazeules vocatis, item in possessione Bÿr, ac praedio Vathateleke, ad eandem possessionem Bir spectant. item similiter in possessionibus Thotkallo et Oross vocatis, nec non praediis Vadteleke, Igliciteleke, Tura, Tamasfájá, Pomod, et Varalla nuncupatis, item in villa Leuk, nec non praediis Razon, Lenged, et Sulde, item in possessione Gyiman, ac praediis Zylostheleke, et Gyimantheleke, appellatis, item in possessionibus Zekel Laskod Bagos, et Philep, ac praedio Pazmantheleke, ad eandem Philep pertinenti, item in possessionibus Harang et Nopkor, nec non praediis Theuth et Zeleus, item aliis praediis Szent-Péter, et Pethlend, nec non quodam Staralytava, adiacent. item in possessione Sz. Király, alio nomine Bud Szent Király, ac Nagy Eszlar, et Kis Eszlar, nec non praediis Basteleke, Poghteke, et Kiraliteleke, ad eandem Nagy Eszlar spectantibus, omnibus in

Zabolcs; item similiter in possessionibus Kis Semjén, Keer Panyöla, et Beltluk in Zathmarien. ac possessione Bodolla, et praedio Csibili in Beregh comitatibus existentibus eosdem Joannem et Nicolaum Patrem, et Laurentium fratrem carnales, nec non Sigismundum, filium Stephani et alterum Joannem, filium Stanislai, patruales fratres suos, ut idem Joannes asserit, communiter tangent. eisdem Joanni, ac Nicolao, Patri, et Laurentio, nec non Sigismundo et alteri Joanni, simul item in praediis Mak et Bodontheleke appellatis, in eodem Zathmár eosdem Nicolaum, et Joannem ac Laurentium, filios eiusdem, nec non memoratum Sigismundum, duntaxat, item in alia possessione Hegy, nec non praedio Helmec, ad eandem possessionem Hegy spectant. in dicto Beregh, nec non Perked, in praefato Zabolch, quae scilicet possessiones Hegy et Perked, et praedictum Helmech, similiter ad eosdem Nicolaum, nec non Joannem, et Laurentium, ac Sigismundum, tantummodo, ut ipse Joannes dicit, pertinent. item in possessione Bachka, et praedio Zadas feulde, ad eandem possessionem Bachka spectant. in Gömörrien. Comitatus existent. ipsos scilicet Nicolaum, nec non Joannem et Laurentium, filios ejusdem solummodo, ut idem Joannes asserit, jure foemineo concernent. in quarum scilicet possessionum ac praediorum dominio suos, et dictorum Patris et fratrum suorum progenitores, ab antiquo pacifice perstitisse, et nunc se ac dictos patrem, et fratres suos existere, ait saepe fatus Joannes, filius Nicolai, eisdem Nicolao, nec non Joanni, et Laurentio, filiis suis duntaxat, aliis etiam quibuslibet nominibus, si quibus in iisdem possessionibus et praediis jus competit, ipsorumque heredibus et succes-

soribus universis, unicuique videlicet, ipsorum, quoad suam portionem, eum secundum suae generationis lineam et divisionem inter eos de iure habitam, contingentem, simul cum omnibus suis utilitatibus et pertinentiis, terris utpote arabilibus, cultis et incultis, sylvis, nemoribus, pratis, foenetis, aquis, aquarumve decursibus, et generaliter cunctis utilitatum integritatibus, quovis nominis vocabulo vocitatis, sub suis veris metis et antiquis limitibus, quibus hactenus rite tentae fuerunt, et possessae, ex certa nostra scientia dedimus, donavimus et contulimus, immo damus, donamus et conferimus perpetuo et irrevocabiliter possidend. tenen. pariter et habend. salvo jure alieno, harum nostrarum vigore ac testimonio literarum, quas in formam nostri privilegii redigi faciemus, dum nobis in specie fuerint reportatae. Datum in Hozu Mezeu, dictarum partium nostrarum Transalpinarum, in Dominica Judica Anno Domini MCDXXVII. regnorum nostrorum Anno Hung. XL-o Romanorum XVII. et Bohemiae VII-o. L.S.

Ex archivo Illustris familiae Kallaianae.

*IV. Jus Regni Hungariae in Moldaviam. A. 1440.*

Wladislaus tertius, D. gr. Rex Poloniae nec non terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lancicie Cujaviae, Lythuaniae. Princeps Supremus Pomeraniae, Russiaeque Dominus et heres etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ad populorum regimen et tutelam, salutemque animarum et potissimum fidei sancte defensionem, et augmentum, constitutas esse in orbe terrarum ab eo, per quem reges regnant, et principes imperant, dominantium et regum potestates, divini juris auctoritas et hu-

mani liquido declarat et ostendit. Caruisset profecto humana conditio jugo domini, nec libertatem a se, quam eis natura donaverat, homines abdicassent, nisi quod impunita licentia scelerum in evidentem humani generis perniciem redundabat, et sic ex necessitate quadam oportuit naturam subesse justicie, et servire justicie libertatem, sicque non ob hoc solum, dominos subditis sententia divina prefecit, ut eis imperando preessent, sed ut ipsis, quo tocius reip. salutis vigeret integritas, pacis et justicie copiam ministrando, prodesse. Verum, quum illi summo omnium principi Deo et salvatori nostro, qui omnem regit mundum, nichil est, quod fieret in terris, acceptius, quam salus animarum, qui etiam de secreto Patris pro operanda omnium salute descendens, in terris visus est, et mortem subiit temporalem. Profecto qui onus, quod conducere ad salutem hominum non ambigitur, subire et suscipere (non) refugit, summi regis dilectionem ostendit se habere. Quamobrem, cum, postquam per obitum dive memorie serenissimi principis D. Alberti, Rom. et Hung. regis regnum ipsum Hungarie suo destitutum fuisset rectore; regni eiusdem prelati, principes, comites, Barones, proceres, communitates, quatenus et sibi et regni sui statui salubriter prospicerent, solemnes ipsorum ambassiatores et nuncios regni eiusdem prelatos et barones, insignes et magnificos, videlicet venerandum in Christo patrem D. Johannem Segniensem episcopum, gubernatorem abbacie de S. Gothardo, Mathonem de Thalloucz, regnorum Dalmatie, Croatie, ac totius Slavonie banum; Johannem de Peren, magistrum thavernicorum regalium, Ladislaum de Paloucz, magistrum Curie Regalis, Emericum de Marczali, magistrum da-



piferorum regalium et comitem Simigiensem, mandato et auctoritate totius regni predicti fulcitos, ad presenciam nostram in civitatem Cracoviensem transmittendos statuissent, qui inibi constituti, post exactam et quam tante rei pondus postulabat, deliberationem, nos desiderio unanimi et voto concordii, in suum Dominum et regem regni Hungarie praefati nominaverunt et elegerunt. Nosque consequenter magna cum instantia summoque desiderio precati sunt, quatenus regni illius, populorumque et dominiorum ejusdem regimen et gubernacula susciperemus, arbitrati, quemadmodum ex ipsorum votis collegimus, id ipsum pro bono et salute horum duorum Hungarie et Poloniae regnorum, proque ipsorum et katholice fidei defensione et incremento plurimum expedire. Nos itaque Wladislaus, rex prenomatus, auditis eorundem ejusmodi desideriis, et ipsis attentiore consilio nostrorum prelatorum et baronum examinatis, etsi dono altissimi, regni Poloniae predicti amplissima dominia nobis ad dominandum ad plenum sufficiunt; ne tamen videremur et divine voluntati contraire, et salutem populi christiani negligere, de consilio prelatorum principum et baronum nostrorum, considerato maxime, qualiter predicta regna, sibi confinancia, et barbaris nationibus finitima, sunt murus et clypeus fidelium, pro honore divini nominis et defensione fidei catholice, si quod forte omnipotens Deus ex unione horum regnorum pro incremento ipsius fidei operari et efficere dignabitur, quod speramus, confisi de misericordia ipsius, desideriis prefatorum dominorum annuimus, nominationi seu electioni ipsorum predictae, de persona nostra factae, consensum prebuimus et harum serie consentimus et

annuimus. Utque cunctis innotescat, nos ad eam rem non cupiditatis ardore, nec ambitionis amore, sed ea, quam premisimus, animi sinceritate attractos esse, pro bono statu ejusdem regni, conditiones et modos infrascriptos, quos prenominati oratores regni Hungarie predicti, per nos admittere et manutenere ardentius desiderarunt, de mera nostra liberalitate, grato affectu admisimus et tenore praesentium ipsorum integre et inviolabiliter servaræ et manutenere pollicemur et spondemus. Imprimis itaque promittimus et pollicemur, quod postquam Nos Deo favente regni predicti Hungarie diadema feliciter susceperimus in ipsa coronatione nostra omnia jura, libertates et bonas consuetudines regni huius, usque ad presens tempus tentas et observatas, juramento et litteris nostris regalibus confirmabimus. Decreta quoque divorum ejusdem regni regum et predecessorum nostrorum ac etiam omnes libertates et iura ecclesiarum et monasteriorum regni predicti inviolabiliter, et inconcusse servare, ac ecclesias predictas et bona ipsarum ab omnibus injuriis defendere et tueri promittimus. Similiter omnes donationes, tam ecclesiasticis quam secularibus personis vigorosas, et legitime ac signanter per Serenissimam Principem D. Elisabeth, ejusdem regni reginam modernam, factas, tenebimus, ac tenere, atque observari faciemus. Item promittimus atque pollicemur, quod regnum predictum Hungarie et subditos ejusdem contra et adversus quoslibet inimicos ejusdem tam Turcos, quam quoslibet alios, ubicunque positos et occurrentes, copiis regni Polonie predicti et dominiorum suorum fideliter juxta posse, tuebimur, sublevabimus, et juvabimus; et reciproco modo ipsi regno Polonie

promittimus, regnum ipsum Polonie et cives subditos cum potentiis regni Hungarie contra Tartaros et quoslibet ipsius inimicos pari passu, modo et vicissitudine fideliter tueri et adjuvare. Promittimus etiam et spondemus, quod omni diligentia, sollicitudine et opera nostra, quantum in nobis fuerit, niti et laborare volumus pro recuperandis omnibus et pertinentiis regni Hungarie preacti, a quibuscunque occupatis. Eo etiam signanter expresso, quod terre Russie et Podolie remaneant in pacifica possessione, sicut hactenus fuerunt, regni Polonie sine praeiudicio Hungarie et Polonie regnorum predictorum, quousque inter Prelatos et barones utriusque regni, et quando prefato D. regi videbitur, celebrari poterit conventio pro declaratione iuris et tituli terrarum predictarum, cui regno competant. Hoc etiam specialiter adjecto, quod quoad articulum terre Moldavie, remaneat pro nunc in statu, in quo est, et adveniente tempore, quo Domino regi videbitur, de consilio prelatorum et baronum utriusque regni fiat secundum quod in antiquis litteris, desuper confectis, continetur. Praeterea, ut nostra in his sincera intentio appareat, et ut, quod verbo de recuperandis juribus et pertinentiis regni Hungarie dicimus et promittimus, effectu ipso rei comprobetur, deturque intelligi, quanto affectu incrementum regni ejusdem cupiamus, castrum Lublio in terra Scepusiensi cum omnibus civitatibus, oppidis, villisqueque titulo pignoris ad presens tempus ratione regni nostri Polonie pacifice possedimus et tenuimus, atque tenemus, promittimus ac pollicemur, de nostra mera libertate, statim postquam celebritas coronationis premissae feliciter facta fuerit, et consummata, reintegrare,

et libere restituere regno Hungarie absque quavis pecuniarum praedictarum, in quibus pignori obligata fuerint, exactione, litterasque quascunque super inde confectas, mox post dictam coronationem restituemus. Promittimus insuper et pollicemur rebellibus et infidelibus, regno Hungarie predicto, omnibusque et singulis extra fines regni ipsius ob eorum demerita pulsas et relegatis, gratiam redeundi et resumendi in regnum ipsum non faciemus absque consilio prelatorum et baronum regni predicti, prout hoc habet et obtinuit regni ejusdem antiqua consuetudo. Pro conservanda quoque pace et quiete regni Hungarie prememorati, et subditorum eius promittimus et spondemus serenissimam principem, D. Barbaram, imperatricem Rom. in regnum Hungariae, seu inter limites et pertinentias regni eiusdem non intromittere, nec induci facere, sed nec aliter quomodolibet introductam in regno eodem absque voluntate et consensu prelatorum et baronum omnium regni predicti, confoueri. Que quidem, si quid cause contra quamcunque personam regni ipsius habeat, habueritve in futurum, et de eadem agere et experiri voluerit, per procuratorem suum legitimum id prosequatur. Et nos cum praelatis et baronibus regni predicti eidem iustitiam plenam et expeditam ministrabimus et ministrari faciemus. Licebit tamen nobis, secundum regalem munificentiam prefate Ser. Imperatrici extra fines regni Hungarie supradicti, pro statu ejusdem, providentiam fraccere iuxta placitum nostre voluntatis. Preterea cum relicta Margaretha, quondam Joannis de Gara, propter quosdam notorios excessus suos per iudicium quondam Serenissimorum DD. Sigismundi Rom. Imp. quam etiam Alberti Hung.

regis, de consilio prelatorum et baronum ejusdem regni, in capite et in bonis condemnata dicatur, et propterea usque in presens in carceribus teneatur, promittimus judicium praedictum ratum et gratum habere, nec aliquam vel aliquos occasione hujusmodi molestare vel ab aliis impeti seu molestari permittere. — Actum et datum in civitate nostra Crakoviensi VIII. die mensis Martii, Anno Domini MCDXL-o.

Originales in tabulario Caesareo Regio Vindobonensi.

*V. Jus Hungariae in partes Transalpinas, seu regnum Valachiae. Anno 1452.*

Ladislaus, Dei gratia, Hungar. Bohem. etc. Rex, Austriacae et Stiriae Dux etc. Ad perpetuam rei memoriam. Potestas Principum ad hoc divinitus in terris erecta est, ob subjectum sibi populum regat benevolentia, liberalitate attrahat, et unius cuiusque merita dignis retributionibus prosequatur. Quod et si ex quadam generali regula eis agendum sit, meritorum tamen qualitate pensata, alii aliis non solum amabilius colendi, sed et altioribus honorum titulis extollendi sunt, huius maxime, quos non solum antiqui sanguinis generosa illustrat claritas; verum etiam parentum et proprii illustres actus, alta obsequia et merita virtutum, ceteris ante ponunt. Hoc enim ordine servato et regum glorificabitur discretio, et subditorum animus velut incentivo ad opera virtutum accendetur. Hac itaque consideratione sicuti excellentiam generis, sic et inclitorum actuum magnitudinem fidelis nostri, sincere dilecti, Magnifici Nicolai de Wylak Waywodae Transilvani et Bani Machoviensis, ponderare constituimus, et ut illu-

stris origo viri huius ad enarrandum laudes suas, antequam virtutes attingamus, nobis sermonis origo sit; ipsius inclyta familia usque ad tempora laudabilium virorum successione ducta, quo nobilitate ab atavis illustrior extitit, eo et strenuitate animi clariores semper peperit viros, quorum quilibet vel Palatinatus vel Banatus, aut alicuius notabilis Baroniae titulo insignis, non solum sibi creditum prudenter administravit officium; verum etiam potentibus armis et gentibus suis regum adiutor, patriaeque defensor fuit et columpna; certi etiam ex eis pro salute reipublicae, dum necessitas ingruebat, vitam ponentes virtutes suas aeternae laudi fuso sanguine commendarunt. Sed progenitorum eius virtutibus magnificis, fortissimisque gestis, quas tum optimarum quarumque linguae, tum vero regalium privilegiorum testimonia magnis celebrant et celebrabunt laudibus, hac vice praeteritis, ex praefati Nicolai Woÿvoda magnificis actibus aliqua excerpentes, pro suarum virtutum merito, posteriorum memoriae hys scriptis transmittimus. Cum enim benemeriti viri alendi sint gloria, cujus omne praeclarum ingenium avidissimum est, aequum est hunc illustribus virum insignem suis praeconiis non fraudare; sed ea futuris seculis diffundere. Quid enim amoenius quam cum gesta virorum fortium ita describuntur, ut non tam nre, ac mente, quam oculis ea se praesentem cernere posteritas putet. In primis itaque id nobis, prout fide dignorum hominum contestatio prodit, referendum occurrit, quod ipse Nicolaus Wayvoda condam gloriosissimo Principe Dno Sigismundo Imperatore, tunc rege Hungariae, auo nostro beatae memoriae, in Curia ejusdem annos juveniles laudabiliter exegit,

in quibus praemiatum sensum, et adultam semper gravitatem prae se ferens, inter ceteros sibi coaetaneos milites militum decus fuit, gloriosumque adhuc eo tempore nomen et splendidissimam famam ingenuis moribus acquisivit; adolescentia vero egregie traducta, strenuis exercitiis ad militares actus se assuefaciens futurorum inclitorum operum suorum fundamenta, certis praesagiis, jecit, et ad dignitates ac honores, quibus nunc insignitus fruitur, liberos sibi ascensus comparavit. Nam quicumque sibi undecunque emolumentum obvenisset, ad patriae tutelam, ad arma, et cetera militiae ornamenta conferebat. Quod vitae genus ab eodem etiam in hac adulta aetate sua facile, constanter et jucunde retinetur; praeclarae autem indolis miles, et imperiali obsequio dignus adhuc eo tunc regis consiliis admissus integerrima fide, devotisque obsequiis praefato avo nostro, consequenterque Serenissimo Principi Domino Alberto regi Hungariae, genitori nostro, felicitatis recordii, tam eo tunc, dum post se se uterque per successum pro reparandis ruinis regni sui Bohemiae, seu contra Teucros, aut alios hostes procedebant, quam etiam in aliis cunctis negotiis gerendis ad tempora vitae utriusque eorundem fidelissima semper sollicitudinis diligentia et strenuis actibus, non solum inseparabiliter adhaesit, sed et continue amplo ornatorum militum agmine adstitit et succurrit; pro quorum insuper honoris amplitudine saepius proprii capitis periculum bello et armis adiit, multorumque carorum militum suorum necem vidit, consequenterque ipso genitore nostro, licet satis intempestive, ut tamen Domino placuit, vita functo, dum regnum nostrum Hungariae, nobis eo tunc apud incunabula, et alie-

nam educationem, aetatem agentibus, ydoneo tutore orbatum, et intus gravissimis odiis exortis fluctuaret, et foris grassante dictorum Teucrorum tyrannide, innumeris affligeretur malis, utpote cum jam ipsi Teucrici vastare agros, diripere villas, homines sine discretionem sexus et aetatis vel trucidare vel educere impune consueverant; et per totas inferiores ipsius regni nostri Hungariae partes usque ad fluvium Ticiae, et item ex altera parte usque ad interiora regni nostri Sclavoniae, vel miserabiliter vastarant vel occuparant, adeoque gravissimo metu jam totum regnum concusserant, ut illud in pendentem ferme ruina positum, miseram sui blasphemorum Christi manibus solam restare putaret occupationem, praefatus Nicolaus de Wylak, tunc primum pariter cum Magnifico Joanne de Hunyad Wayvoda Transilvani, Comites Temesienses, et Capitanei Nandoralbenses, et aliarum inferiorum partium creati, optimum hoc virorum par, hujusmodi eorum titulis non minus, quam acceperant dignitatis et gloriae restituerunt, ipsiusque sublimationis eorum primordia pulcherrimis quibusdam victoriis consecrata fuere. Locato enim et dimisso in illis partibus praefato Joanne Wayvoda cum gentibus ipsius Nicolai, similiter Wayvoda, fusus et in primis victrici bello in terra Serviae prope castrum Nandor Albense Jak Wayvoda Teucrorum, qui tunc castrum Zendrew cum tota ipsa terra Serviae occupatum tenebat, consequenter vero paucis post diebus eisdem autoribus alter Teucrorum exercitus, qui sub Ducatu cujusdam Mezitbegh amplo milite superbus, de gloria praeteritarum victoriarum vividus, partes nostras Transilvanas, solita flagitia acturus, subintravit, adeo laudabiliter conflictus est, ut ipse



quoque exercitus Dux, et filius suus occisi refu-  
sam praedam proprio casu suppleverint, suis ibi-  
dem complicitibus vel fuis vel captis, et paucis  
fuga salvatis; ex quo opere huic regno ea ac-  
cessit utilitas, ut partium Transalpinarum  
Wayvoda, qui adhuc progenitorum nostrorum  
temporibus sacrae hujus regni coronae  
rebellando Teucris se subjecerat, rursus  
huic regno cum tota sua terra se re-  
stituit. Quibus quidem felicibus principiis tan-  
dem gloriosior, et longe excellentior victoriae cu-  
mulus accessit, fractum est enim felicissimo bello,  
strenuaque magnanimitate dicti Johannis Wayvo-  
dae, et gentium ipsius Nicolai, similiter Wayvo-  
dae, in partibus Transalpinis immanium potentiae  
Turcorum undique coactum robur numero, ut  
verisimile fertur, octaginta millia hominum, quod  
Turcorum Dominus sub conductu Basae, sui prin-  
cipalis vices gerentis, in vindictam praeteritae no-  
strorum victoriae, armis et numero instruens, va-  
statis iam partibus Transalpinis, fere totis, e ve-  
stigio in dictas partes nostras Transilvanas, simili-  
ter vastandas ingredi iusserat, quod quidem bellum  
adeo felicissime gestum et victoriosissime confe-  
ctum est, ut antiquis quibuscunque Imperatorum  
triumphis non impar sit; fusa enim innumerabilis  
multitudo hostium, moribundis longe lateque ca-  
daveribus amplissimum certaminis campum thabe-  
fecit, indelebilem cunctis saeculis miserandae suae  
cladis historiam derelinquens innumerabilibus ibi-  
dem hostium majoribus in captivitate redactis,  
amplissimisque thesauris, et omni preciosa exer-  
citus supellectiti in praedam nostrorum deventis,  
et divisis. Tot igitur praeclaris victoriis genti no-  
strae animum et spem subministrantibus cum gran-

dis tandem exercitus, quorum maxima et egregia pars ex gentibus ipsius Nicolai Wayvodae confecta extiterat, armis et numero iustructus, regnum Serviae, seu Rasiae et Bulgariae transgressus usque ad oras Romaniae, quae omnia Teucrorum Dominus antiquis ab annis occupata tenebat, victrici manu penetrasset, praefatus Nicolaus Wayvoda constitutos in terra hostili commilitones et socios sua praesentia viduos non reliquit, quin immo novis aggregatis gentibus per terras inimicas, per mediosque hostes iter faciens, exercitui praedicto se coniunxit, eorumque animos multis praeliis lassatos, novo succursu roboravit. In qua via actum est, ut civitas Sophia, et quam plures aliae civitates, oppida, castra, arcesque, et petrae, illae infidae gentis domicilia nostrorum igne et gladio vastata sint, et crebris, praecipuis sex praeliis, continuae ab hostibus reportatae sint victoriae, totque exercitus salvus, ingentique hostilium hominum et rerum praeda onustus rediit, multis vexillis hostium captis, quae pro aeterna laude horum gestorum ad haec usque tempore ostentantur utpote tot triumphorum illustrium pulcherrima, et praeclara monumenta. Ex quibus secutum est, ut ipse Teucrorum Princeps tremefactus totum regnum Rasiae, cum eiusdem terrae castris, quae antiquitus occupata, quasi huius regni claves, tenebat, manibus illustris Principis Georgii Despoti Rasiae, huius regni membri fidelis, nomine et ex mandato regni Hungariae recipientis restituit, quae per eum usque ad aetatis nostrae tempora pacifice et fideliter possidentur. Rex etiam Bosnae eo respectu ad pristinae obedientiae, quam negaverat, rediit gremium, in qua hucusque constanter perseverat. Quid multa, cum tot felici-

cium rerum successibus, turpis et abominanda Turcorum tyranuides (tyrannis) ab Hungaricae gentis cervicibus fuisset eo tunc foris remota, praefatus Nicolaus Waywoda etiam in internis patriae morbis medendis strenuus pugil assurexit, et quod alii aut timebant, aut contempnebant, ipse pro patriae salute, accuratius suscipiens, et magnificentius audens, inter caeteros actus suos coacto exercitu in — — latrunculos, et internae guer-rae auctores, qui partes Simigienses et Jaurienses non solum vastarunt, sed pene domicilia in eis fixerant, expugnatis eorum munitionibus, fregit, dissipavit, et ejecit, populosque terrarum illarum ex hostium faucibus vi et armis eripiens, non solum detrimentis, sed etiam detrimentorum suspicione solutos reddidit adeo, ut felices sub ejus umbra aspexerint vindictam hominum sceleratorum, ex quibus omnibus secutum est, ut regno nostro Hungariae, non solum externis malis erepto, sed et interna pace composito, tota natio et respublica submotis, sublatisque civilibus bellis, et internis turbinibus, qui paulo ante et voluntates et mentes eius gentis a se se distraxerant, unione invicem iuncta, Nos Dominum suum naturalem, genitoris et avi, regum suorum successorem, et haeredem regem declaravit, suscepit et cognovit, tandemque congregatione habita et personalis omnium majorum ad nos accessit: fidelissimamque nobis obedientiam exhibuit, et ostendit. Ut igitur (sequitur donatio). Datum Posonii in festo exaltationis sanctae Crucis Anno Domini MCCCCLIII. Regni autem nostri anno quarto decimo.“

Ex archivo Camerali.

*VI. Moldavia et partes Transalpinæ regni Hungariæ  
iuris. A, 1477.*

Nos Mathias Dei gratia, Rex etc. Memoriae commendamus — universis quod — consideratis integerrima fide — et variis servitorum generibus fidelis nostri Magnifici Comitis Stephani de Báthor, Judicis Curiae nostrae, quae ipse sacrae imprimis regni nostri Hungariæ Coronae, tandemque Maiestati nostrae — praesertim vero in conflictibus et pugnis acerrimis, bellisque et exercituationibus tam adversus Turcos, totius fidei catholicae, et religionis christianae hostes inimicissimos, quam etiam Bohemos hereticos, aliosque nostros et regni nostri aemulos, saepe numero instauratis, nec non in expugnatione diversorum castrorum et fortalitorum tam in provinciis Turcorum, quam etiam in Bohemia, Moravia et Silesia, per nos facta, — — exhibuit, et impendit. Inter quae quidem praeclara servitia et alia, quae plurima sunt, omittamus, haec quae novissime peregit, — — specialiter recensere — dignum duximus. Superiori siquidem anno, cum post obsidionem castri Szabath, quod favente Deo a Turcis gloriose expugnavimus, cui quidem expugnationi idem Comes Stephanus non modo interfuit, verum etiam totis animi et qualitatis viribus affuit, feliciter Budam reversi fuisset, et inter alias varias curas et sollicitudines nostras, quibus pro statu et defensione imprediti fueramus, Serenissimam reginam Beatricem, de Aragonia, sponsam nostram ad hoc regnum nostrum traduxit, et solemnitati nuptiarum, quas iam tandem Deo auxiliante feliciter celebravimus, vacare habemus, Turcorum Imperator, qui christianorum sanguine satiari ne-

quit, nostram sentiens occupationem, coactis et adunatis undique viribus et copiis, maxima cum manu, regnumque ac Provinciam nostram Moldaviae, cum ope et adiutorio perfidi Bozorad, Vajvodae partium Transalpinarum, regni nostri, qui a Maiestate nostra, et sacra corona defecerat, subintravit, et totam eam fere provinciam ditioni suae subjugavit, cui cum propter praefatas curas et occupationes nostras, subito personaliter occurrere et obvenire non poteramus majestatis nostrae in persona, ipsum Comitem Stephanum de coetu aliorum fidelium nostrorum elegimus, ad hujusmodi expeditionis usus, et is virtute et industria cum auxilio et ope certorum fidelium nostrorum praefatum Turcorum imperatorem vicit, et in turpem fugam convertit, provinciamque ipsam liberam et nobis pacatam reliquit. Tandem vero fugato et expulso de Moldavia ipso Turcorum Imperatore, de nostra commissione et speciali mandato, se et gentes suas adversus praedictum perfidum Bozorad Vayvodam et provinciam Transalpinam convertit, ibique ipsum Bozorad, simul cum reliquiis Turcorum, quos imperator ipse pro praesidio, et defensione ipsius Bozorad, et provinciae illius Transalpiniae, locasset, similiter fudit, et profligavit, ac de ipsa provincia turpiter auffugere coëgit, et alterum Vajvodam, quem nos elegeramus, in eadem provincia fideliter reliquit. Volentes igitur etc. (Sequitur donatio terrarum) quae per defectum seminis Joannis de Maroth ad regium Fiscum erant devolutae. Datum Budae in festo Sanctissimi corporis Christi Anno eiusdem MCDLXXVII.“

Ex originali in archivo Camerali existente.

*VII. Jus Regni Hungariae in Moldaviam. 1503.*

Wladislaus, D. gr. rex Hung. Boh. etc. Sere-  
 nissimo Principi D. Alexandro, eadem gr. Polo-  
 niae regi etc. fratri germano suo carissimo, salu-  
 tem et prosperorum successuum incrementum. Ac-  
 cepimus litteras Majestatis Vestrae, iucundo fra-  
 ternoque animo, quibus eius mentem, simul eti-  
 am desiderium in causa recuperationis illius terrae  
 occupatae plane cognovimus. Nos qui hactenus  
 pro virili nostra omnem possibilem favorem et  
 fraternam caritatem erga Majestatem V. et totum  
 illud regnum ab initio in cunctis rebus semper  
 ostendere conati sumus, et reipsa, ut par fuit,  
 ostendimus, sumusque vel deinceps hoc tenore ca-  
 ritatis usuri, ita in praesenti causa, pro remissione  
 illius terrae, per Stephanum vaivodam Nostrum  
 Moldaviensem, temere, ut causatur, occupatae,  
 omnem operam, medio oratorum nostrorum, sciat,  
 nos navasse, et quemadmodum idem Vaivoda  
 noster superioribus his diebus per internuncios  
 suos obtulerat, se voluntati nostrae in hac parte  
 morem gesturum, et terras illas remissurum, pro-  
 ut certe Majestatis vestrae verbis freti, verbis il-  
 lorum meminimus perscripsisse; putavimus, ani-  
 mum vaivodam hac in re non immutaturum, et pro  
 oblationibus suis nobis omnino satisfactorum. Ve-  
 rum, quum pro causa istius remissionis et pro-  
 gressu ulteriori aliorum negociorum, cum Orato-  
 ribus maiestatis vestrae in formam articulorum re-  
 ductorum, ad ipsum, Stephanum Vayvodam spe-  
 cialem Oratorem nostrum, una cum notario quo-  
 dam suo, pro mutua ordinatione subito post illorum  
 discessum, expeditissemus, tunc primum in reditu

eiusdem oratoris nostri cognovimus, terram illam contra priores oblationes suas Vajvodam ipsum, nescitur, quibus ex causis motum remittere voluisse (noluisse). Quod quam molesto animo tulerimus, nos ipsi soli sumus conscii. Verum meminisse poterunt Oratores M. Vestrae, prout etiam eidem ab eisdem relatum esse, non dubitamus, ad unum articulorum id pro futura occurrentia tunc additum esse, quod si Vajvoda ipse nequiret per oratorem nostrum ad restitutionem terrae occupatae induci, saltem inducere conaremur, ut manus suas et suorum omnium de illis exciperet, relinqueretque liberam sub quadam neutralitate. Id, quod, post habitas ultro citroque difficultates, spondit oratori nostro se facturum, sic et eo modo, ut, quam primum novi oratores nostri ad metas Moldaviae applicarent, e vestigio suas manus et suos omnes officiales esset de terris illis excepturus et sub neutralitate relicturus. Quid aliud novi orator ille noster, praeter continentias et mentem articulorum, istic constituerit, prorsus ignoramus. Ceterum non fuit etiam mentis nostrae, uti M. V. scribit, quod nos contra continentias articulorum, hic cum oratoribus suis confectorum, ad remissionem illarum terrarum oratores nostros pro arbitratoribus mitteremus; sed tanquam bonos mediatores et honesta pacis media; sicque et hac facultate potestateque tantummodo, et non alia, novos iam oratores nostros pridem expedivimus, qui pro festo OO. SS. iuxta habitam hic concordiam, cum oratoribus suis in Kolathyn, inducto etiam ad id ipso Vajvoda, sunt omnino constituti. Quare rogamus eandem M. V. velit cognita sedulitate et diligentia nostra, quam in causa hac pro ulteriori tranquillitate sua, et totius regni sui praestitimus,

huius navatae operae nostrae habere rationem, et de oblata neutralitate pro tempore isto contentari, suosque oratores seu consiliarios ad praemissum diem ac locum celeri cursu expedire et omnino transmittere, nec quavis ratione pro ulteriore conservatione honoris utriusque nostrum, conventum semel indictum, et quidem salutarem, ut putamus, partibus futurum negligere. Quos quidem oratores suos nostri vel post praemissum diem sunt isthic in loco omnino expectaturi; ne tantus conventus et per loci distantiam satis partibus laboriosus, sine optato aliquo fine contra omnium expectationem dissolvatur, et animus Vajvodae nostri ab ipsa revisione, data occasione alicuius negligentiae, postea distrahatur ab alieneturque. Et cum sciamus Maiestatem V. pro suo gravissimo consilio res suas et regni sui via potius concordiae, quam belli componere consuevisse, taliter vel in praesenti causa secum constituat, ut prorsus belli cogitationibus ad partem sepositis, pacem et concordiam ob utriusque Nostrum quietem futuram amplecti velit, et de sumendis armis animum avocet, ac via armorum nihil prorsus attentet. Speramus namque nos, confisi in oratorum nostrorum industria, ac diligenti studio bonum aliquem exitum concordiae habituros. Et post hac etiam velit sibi persuadere M. V. nos non destituros, et omnes vias possibles, et modos necessarios quaesituros, ac tentaturos, quo differentiae abortae via honestae concordiae, non armorum, sedentur, et in alterum recte complanentur. Ceterum, quid novissime cum oratoribus M. Vestrae hic in causa ferendi auxilii egerimus, et tractaverimus, non dubitamus eandem ex illorum fide relationibus plane iam cognoscere potuisse. Quam et



bene feliciterque valere semper optamus. Datum  
Budae in festo S. Galli A. Domini MDIII.“

E M. SS. Georgii Pray. ex archivo Camerae R. Hung.  
Aulicae erutis.

VIII. *Jus Hungariae in Moldaviam. A. 1505.*

Vladislaus, D. gr. Rex Hung. et Boh. — Quum  
pro futuro periculo hujus regni evitando hoc idem  
regnum gentibus admodum indigeret, et nunc prae-  
cipue, quum fama ad nos pervenerit, wayvodam  
Moldaviensem obiisse; ad quod invigilandum est,  
ne regnum istud Moldaviae, quod in jure  
huius regni existit, in manus hostium de-  
veniat, quare — seriose committimus, vt omni  
mora posthabita, gentes vestras, iuxta ordinacio-  
nem regnicolarum paratas habere debeatis et te-  
neamini, ut, quam primum iusserimus, et neces-  
sitas exiget, illas movere — possitis. Ut autem  
commodius fieri possit; — vos — sub capitaneatu  
fidelis nostri, spectabilis et magnifici Emerici Perén,  
perpetui Comitis Abaujvarensis, et regni nostri  
Hungariae Palatini, deputandos duximus. Datum  
Budae, in festo Beati Jacobi Apostoli, anno Do-  
mini millesimo, quingentesimo quarto.“

E MSS. Bibl. Quinqueecclesien.

IX. *Jus Hungariae in partes Transalpinas, seu Vala-  
chiam et Bessarabiam. A. 1508.*

Wladislaus, Dei gratia, rex Hung. et Bohem.  
etc. Sp. et M. fidelis, nobis sincere dilecte Comes,  
Judex Curiae nostrae, ac Waywoda partium re-  
gni nostri Transilvanarum, nec non Comes Siculo-  
rum (Petr. Comes de Bozin et de S. Georgio). Qua-

li legatione egregius Paulus Literatus, familiaris vester, praesentium ostensor, ad Nos a vobis missus fuerit, plane et ad unguem intelleximus, optavitque nomine vestro, ut eum quam primum expediremus, relationemque nostram in scriptis daremus. Et quamvis paucis ante diebus nos fidelem nostrum egregium, Emericum Czobor, plena nostra informatione isthuc ad vos, et etiam ad fidelem nostrum Wayvodam Moldaviae expediverimus, de hisque omnibus per eundem plene intimaverimus, quem iam isthuc esse existimamus; nihilominus placuit nobis, quod vos rursus pro vestro debito officio, singularique vestra erga Majestatem nostram fidelitate, ac rebus praesertim Transalpinis nos certiores reddideritis. Itaque date operam, omnibus modis, quibus potestis, habita bona et sufficienti ratione honoris nostri, regnorumque nostrorum, ut ipse Mÿgne (Myrche) Wayvoda, prout constituit facere, oratores suos insignes, speciales auctoritate, officio et honore ornatos, in suo nomine et voluntate, ac consensu omnium Boyaronum et consiliariorum, totiusque illius provinciae nostrae, ad nos plena instructione, integra auctoritate, potestate, et facultate mittat, et eum modo, eoque apparatu et honore, quo ad Maiestatem nostram mittere debet. Postquam ipse, ut iam ab omnibus dicitur, atque intelligimus, est paratus una cum illo regno nostro nobis, liberis et successoribus nostris, regibus Hungariae, ac huic sacrae nostrae coronae, more praedecessorum suorum, perpetuo, fideliter, integre et constanter, vel etiam melius servire. Quod autem ipse Oratores suos mittere debeat, hoc ex nostra voluntate processisse, neque ipse, neque etiam sui ullo pacto intelligant. Cum autem prae-

fatos oratores miserit, tales quales, taliterque qualiter mittere debet, fidelitas vestra eosdem istie non retineat, neque cum eis quidquam concludat, sed ipsos mox et in continenti ad nos mittat, qui cum venerint, legacionemque ipsam nobis exposuerint, et interea etiam absque dubio ipse Czobor redibit, vel qualiter in rebus nostris processerit, nobis litteris, aut nuncio significabit: videbimus postea, quid nobis faciendum erit. Itaque fidelitas vestra poterit eidem Wayvoda Mygne significare nomine suo, qualiter iam diu fidelitas vestra et per se, per suos amicos, secundum ipsius voluntatem, ad suam petitionem pro ipso apud Majestatem nostram intercesserit, ut ipse consensu et confirmatione nostra, in praefato regno nostro Transalpino, uti verus et legitimus Wayvoda permanere possit, praesertim postquam intellexit hoc, quod ipse omnia sit paratus facere, una cum suis omnibus Boyarniibus, et cum tota illa nostra provincia, quaecunque Majestas nostra regia voluerit, sitque paratus iurare et promittere, ac etiam perpetuo omnia inviolabiliter unacum suis observare, et nunc quoque fidelitas vestra apud nos per suos speciales oratores, praesentium scilicet exhibitores, intercessit, et quod credit fidelitas vestra, immo quasi etiam pro comperto habet, quod, postquam nos mentem et animum suum ab oratoribus, fidelitatemque et debitam obedientiam, ac paratum bene, fideliterque e serviendi voluntatem intellexerimus, quod nos ipsum a nobis non alienabimus, non abjiciemus, sed fortassis vestra intercessione eius servitia acceptabimus, et supplicationibus suis tandem locum relinquemus. His et aliis rebus pulchro modo, sanoque consilio, quibus fidelitati vestrae pro rei et tem-

poris conditione, melius et consultius videbitur, inducat ipsum per oratorem et nuncium suum, ut suos oratores decernat eo modo, ut iam praemissum est, vel etiam meliore, ad Majestatem nostram mittere. Nolumus enim, ut omnem spem eidem de nobis promittatis, neque ut eum in omnibus nostro nomine assecuretis, neque ut eidem spem iam conceptam, et eidem qualitercunque promissam, adimatis. Et cum sui oratores venire inceperint, visum fuit Maiestati nostrae admodum quadrare, ut etiam vos aliquem specialem vestrum hominem eidem adiungatis, medio cuius rursum supplicaretur nobis penes voluntatem ipsius; et hoc etiam eidem intimare poteritis, quod vos ita facere statuistis, quando ipse suos miserit oratores. Iudicio nostro non esset malum, ut vos quoque ostenderetis ei, quod sicuti alias pro eo libenter intercessistis apud nos, ita etiam nunc, quando oratores sui apud nos erunt, intercedere vultis. Quantum vero ad occlusionem illius viae, communis Transalpinam versus attinet: ut negotiatores ultra citroque more alios consveto, quiete, pacifice negocia sua exequi possint, volumus omnino, et ut quam primum aperiatur, quo ipsi mercatores libere agere possint, nec prius, quantum nobis videtur, claudi deluisset; nisi interea aliquid aliud emergat, quod hanc nostram voluntatem immutare debeat. Illud committimus iudicio et voluntati vestrae. De rebus autem novis, nobis per hunc suum familiarem et nuncium intimatis, agimus fidelitati vestrae ingentes gratias, rogamusque ipsam et requirimus, ut etiam deinceps: quidquid audire et intelligere poterit, vel ab Turcis vel Zophis, Tartarisve, aut ab aliis, quod nos pro regnorum nostrorum tuitione et provisione facienda

scire deberemus, fidelitas vestra suo consveto studio et diligentia nobis quamprimum significet, ut Dei clementissimi gratia et adjutorio, pro nostro summo et incredibili quodam desiderio, omnibus in tempore occurrere, et prospicere possimus. Quod ipsam diligentissime et vigilantissime pro Majestatis nostrae erga se singulari, perpetuaque gratia et beneficio facturam non dubitamus. Datum Budae feria tertia proxima ante diem Sanctorum Cosme et Damiani martyrum, anno Domini Millesimo quingentesimo octavo." — Commissio propria Domini regis."

Ex archivo Camerali.

X. *Jus Hungariae in partes Transalpinas, seu Valachiam. A. 1509.*

Nos Wladislaus, Dei gratia, Rex Hung. Bohemiae etc. Memorie commendamus tenore praesenciam significantes quibus expedit universis. Quod licet nos superiori anno recensitis servitiis illis, que fidelis noster egregius, Johannes Tharczay de Thoth Selmes, pro tunc Comes Siculorum nostrorum, nobis et huic regno nostro diversis ac necessariis in rebus, variisque item temporibus impendit, simul etiam quantas et quam multiplices expensas et sumptus in eisdem servitiis nostris et regni, variisque officiis, quos a nobis tenuit, maxime vero, quum honore Comitatus Siculorum nostrorum a nobis fungeretur, ob non solutionem salarii sui, fecerit et profuderit, facile in animum revocantes, cum eodem Johanne Tharczay, post factam super debitis suis, quibus eidem tam in sortem dicti salarii sui, quam ratione predictorum servitiis suorum obligabamur, calculatio-

nem, tandem in duodecim millibus florenorum, ex quo illam ob alias graves et ingentes nostras et regni nostri necessitates pro tunc in parata pecunia ipsi Johanni Tharczai nequaquam persolvere, sed nec aliter ipsum contentare poterimus, quo securus de rehabilitatione pecuniarum suarum a nobis redderetur, oppidum nostrum — — in Comitatu Hunyadiensi, in partibus scilicet regni nostri Transilvanis, habitum ad nos tam per viam concordie, cum illustri Domina Beatrice, relicta, ac Elisabeth filia, condam illustris Johannis Corvini Ducis, ac regnorum nostrorum Dalm. Croat. ac Slavoniae Bani, desuperfacte, quam etiam per defectum seminis eiusdem Ducis ac Christofori filii eiusdem, vetusto et optimo iure huius regni nostri deventum et devolutum, simul cum omnibus possessionibus et pertinentiis eiusdem oppidi, ipsi Johanni Tharczay infra tempus redemptionis eiusdem inscripserimus, et impignoraverimus, nunc tamen, quum nuncius et orator fidelis nostri Spectabilis ac Magnifici Radul Wayvode partium regni nostri Transalpinarum ad nos applicuisset, inter aliasque legationis suae partes et articulos, fidem ac integritatem eiusdem Domini sui, animique ipsius in nos et sacram huius regni nostri coronam firmam constantiam, ac nobis et huic regno nostro semper serviendi promptitudinem diffuso satis et prolixo sermone explicuisset, simul etiam nomine et in persona eiusdem Wayvode nostri, Domini scilicet sui, instancius nobis cum summa gratiarum actione supplicasset, quo tanti et tam ardentis ipsius erga sacram huius regni nostri coronam desiderii et fidei rationem habere, et iam tandem nostram in ipsum Wayvodam gratiam et affectionem quandoque eciam ob-

latione et pollicitatione nostra firmatam, in effectu perducere, et huiusmodi nostram benivolentiam exhibicione reali in eum ostendere, et declarare dignaremur. Nos animo repetentes, necessarioque considerantes, quante accessioni et utilitati tam arcta et vehemens ac officiosa ipsius Vajvode nostri in nos, et dictam sacram coronam nostram observantia et integritas non tantum huic regno, verum eciam universe reipublice Chrstiane hucusque fuerit, sitque vel deinceps futurum ob idque non esse a nobis negligendum, quin liberalitatis nostrae munificentia eundem Wayvodam nostrum, quo idem in cepta iam pridem et hucusque observata in nos fide, et devotione eo magis solidetur, et confirmetur, graciose amplectamur, ipsumque obnoxiozem, obligaciozemque huic regno nostro et eius sacrae coronae reddamus. Cum igitur diu multumque nobiscum reputassemus, quodnam et qualia bona in hoc regno nostro, et vel partibus sibi subjectis, sibi et dominio suo viciniora, eidem conferre possemus, conjecta tandem mente nostra ad praefatum oppidum — — quod ipsi Wayvode nostro, ut pote in partibus regni nostri Transilvanis habitum, vicinius existit, illud una cum universis suis pertinentiis a praefato Johanne Tharczaÿ repetivimus; qui ut bonus et fidelis subditus, voluntati in primis nostre, deinde etiam petioni Dominorum Consiliariorum nostrorum, videlicet reverendissimi in Xto Patris Domini Thome tt. Sancti Martini in montibus Sancte Romane Ecclese presbyteri Cardinalis, Strigoniensis A. Ep. Patriarchae Constantinopolitani, summi et secretarii Cancell. nostri, nec non Spectabilis ac Magnificorum Petri Comitis de Bozÿn, et de Sancto Georgio, Judicis Curiae nostre, et

Wayvodae nostri Transilvani, ac Jose de Som Comitis Themesiensis, et partium regni nostri inferiorum, Capitanei Generalis, Moysis Buzlay de Gergellaka, Magistri curie nostre et Benedicti de Battyán Thesaurarÿ nostri, aliorumque Dominorum tunc apud nos presentium, ut par erat aquiescens, oppidum ipsum una cum predictis pertinentiis suis nobis remisit et restituit per nos tandem Vaÿvodae nostro, ut praefertur, conferendum Quapropter nos — — — prefato Johanni Tharczaÿ nec non generose Domine Sare, consorti ac Georgio, Lewstachio et Francisco filiis, per ipsosque deinde Katherine, Barbare, Sophie, et Lucie, puellis, filiabus videlicet eiusdem Johannis Tharczaÿ, ipsorumque heredibus, et posteritibus universis — — — castrum nostrum — — — in comitatu Borsodiensi habitum — — — conferendum duximus. — — — Datum Budae in festo Epiphaniarum Domini, anno eiusdem MDVIII. regnorum nostrorum Hungariae etc. anno XVIII. Bohemiae vero tricesimo octavo.“ Wladislaus Rex m. pr.

Ex archivo Camerali.

*XI. Jus Hungariae in Bessarabiam. A. 1511.*

Wladislaus — — Intelleximus et reuera pro explorato habemus, partim ex oratore serenissimi regis Polonorum, fratris nostri charissimi, quem sua Maiestas in praesentiarum signanter propterea trepida ad nos acceleratione misit, partim ex literis fidelis nostri, spectabilis ac Magnifici Bogdani, terrae nostrae Moldaviae vaivodae, quod quidam filius Imperatoris Turcorum numero Turcorum exercitu ex Caffa



movens, castrum nostrum Nester Fejér-  
 vár (in Bessarabia) obsedit; filius autem impe-  
 ratoris Tartarum ingenti ac copiosa manu penes  
 Dasso prope Moldaviam consedit; et illuc castra  
 sua locavit, quorsum autem conatus ipsorum ten-  
 dat, iam facile patet. Agunt enim, ut vires coniun-  
 gant, et mutuis freti viribus, Moldaviam ipsam  
 in magna propterea trepidatione nunc locatam  
 occupent, ut inde vires eorum, quocumque vo-  
 luerint, liberius et perniciosus effundere valeant,  
 qua occupata (Deus perpetuo auertat) difficile est  
 impetum eorum ab Transilvania, et consequen-  
 ter ab aliis regnis nostris coercere. Hac enim  
 arte et fraude id iam aggredi et tentare volunt  
 ut scilicet, nullis impediti fluminibus, sicco iti-  
 nere, regna nostra invadere valeant, quod iam  
 a nullus annis, diversis quaesitis occasionibus,  
 perficere sunt conati. Hortatur autem nos sereni-  
 ssima fraterna Maiestas, D. Rex Poloniae, per  
 suum oratorem, nunc apud nos agentem, ut sa-  
 lutare et necessarium auxilium Moldaviae, reg-  
 no nostro, et toti christianitati, mature feramus.  
 — — Offert sua Maiestas Sacratissima, pro zelo chri-  
 stianae religionis se in nullo penitus defuturam.  
 Praefatus vero Vajvoda noster Moldavien-  
 sis, a nemine, quam a nobis ipsis, de-  
 dendet, et inde auxilium opportunum exspectat;  
 ob quod nobis vehementer supplicat. Ut autem  
 tantam trepidationem et periculum, Deo Auctore,  
 a regnis nostris abigerè et propellere valeamus;  
 constituimus, una cum DD. praelatis et Baroni-  
 bus pleno et integro consilio, ut quilibet gentes  
 suas, quas, iuxta decreti continentiam tenere et  
 paratas habere, et medietatem earum ad festum  
 B. Margarethae V. et M. proxime venturum,

Varadinum mittere debeat, medietatem vero domi conservet, ut, quocumque necessarium fuerit, etiam illam medietatem subito mittere possit. Hoc autem omnibus statibus nunc praesentibus commisimus, absentibus autem et aliis quoque Comitibus per similes litteras nostras quam celerrime significavimus, vestraeque mandamus et commitimus fidelitati harum serie firmissime, et sub poena in decreto expressa; et, si vos causa destructionis et amissionis hujus inlyti regni esse non vultis, aliud facere non praesumatis; sed omnino medietatem vestrarum gentium ad praedictum diem Varadinum, ut praemissum est, mittere debeatis, ut ex eo loco, quocumque commissum fuerit, sine mora se movere valeant. Ordinavimus autem hominem nostrum, qui Varadini omnium et singulorum gentes revidere, et recensere, et nobis, si quis poenam decreti incurrerit, veraciter deferre debeat. Confestim autem, his malis et periculis novis intellectis, expedivimus ad partes inferiores, fideles nostros Spectabiles, ac Magnificos Vajvodam Transilvanum et Comitem Temesiensem officiales nostros, quemlibet in suum officiolatum, ut ipsi, quoad aliae vires regnorum nostrorum subsequi poterunt, ad omnia diligentissime et vigilantissime provideant. — Datum Budae, feria tertia, proxima post festum B. Urbani papae et martyris. Anno MDXI.“

Ex iisdem Pray MSS.

*XII. Moldaviae Vajvoda sub domo etiam Austriaca Regno Hungariae fide obstrictus mansit. Anno 1535.*

Nos Ferdinandus etc. Memoriae commendamus etc. Quid cum nos fidelis noster Spect. et Mag-

nificus D. Petrus Vayvoda Moldaviensis per nuncios et literas suas his superioribus annis de sua erga nos fidelitate certiores fecerit, ac spem dederit optimam, quod nobis tum contra nostros peculiare aemulos atque inimicos, tum aduersus christianae reipublicae communes hostes, usque ad extremum vitae suae tempus fideliter et constanter cum suis subditis seruiet; ut eum nostra liberalitate non solum in huiusmodi bono et fideli proposito retinere-mus, sed et ad maximos quosque conatus pro nobis regnoque nostro Hungariae, ac nomine christiano suscipiendos magis ac magis incitarem: crebris etiam ac humilimis eiusdem Vayvodae supplica-tionibus inducti arces Esycho, Kÿkollew, Balva-nyos, ac civitatem Bistriczensem, in partibus regni nostri transilvanis existentes, quas a Serenissimis Praedecessoribus nostris, Regibus Hungariae, ma-iores sui obtinuerunt, partim ipse Petrus Vayvoda his temporibus est adeptus, cum omnibus illis uti-litatibus et prouentibus, quibus nunc possidet, in manibus Eiusdem Petri Vayvodae de gratia nostra speciali relinquimus absque omni impedimento pos-sidendas, harum nostrarum vigore et testimonio litterarum. Datum Viennae in festo B. Antonÿ Ab-batis Anno Domini MDXXXV. Regnorum nostro-rum Romani quinto, reliquorum vero nono.“

Originales in archivo camerae R. H. Aulicae.

*XIII. Ferdinandus V. Rex Hungariae iura Regni in Cu-maniam asserit. A. 1836.*

Nos Ferdinandus Primus, divina favente Cle-mentia, Austriae Imperator; Hierosolymae, Hun-gariae hujus nominis quintus, Bohemiae, Dalma-tiae, Croatiae, Slavoniae, Galliciae, Lodomeriae,

Ramae, Serviae, Cumaniae et Bulgariae Rex Apostolicus; Archidux Austriae, Lotharingiae, Salisburgi, Virceburgi, et in Franconia Dux; Dux Styriae, Carinthiae et Carnioliae; Magnus Dux Cracoviae; Magnus Princeps Transilvaniae, Marchio Moraviae, Dux Sandomiriae, Massoviae, Lublini, Superioris et inferioris Silesiae; Osvecinae, et Zatoriae, Theschinae, et Foro Julii, etc. Princeps Berchtoldsgadenae, et Mergenthemii, Comes Habsburgi, Kyburgi, Goritiae, Marchio inferioris et superioris Lusatae, nec non Istriae, Dominus terrarum Vollhyniae, Podlachiae, et Beresti, Tergesthi, in Freudenthal, Eulenburg, et Marchiae Slavonicae, etc. etc. Datum — — in libera regiaque Civitate Nostra Poseniensi die 2-a Mensis May Anno Domini 1836. regnorum nostrorum Hungariae, Bohemiae et reliquorum anno secundo."

E Codice Jurls patrii.

Series Vajvodarum Valachiae, seu Transalpinæ ex Diplomatis MSS. ac editis Operibus pro Nicolaum Jankovich de W. congesta, et elaborata Anno 1816.

1247. **L**inoy cis Alutam fluv., Szeneslaus trans Alutam.
1272. Lythen.
1273. Lythen interfectus.
1274. Barbach prioris Frater.
1313. Radul Niger alias Negrovod. Bauer pag. 32.
1320. Vajtadó. Filstich ex Hornio p. 18.
1350. Alexander Bazarab., etiam Bazarad dictus ab extraneis.
1342. Alexander Bazarab.
1345. Alexander Bazarab.
1363. Uladislaus, Thuroczio pag. 192. Lajk, filius Alexandri.
1365. Ladislaus.
1368. Lajk sive Ladislaus, Uladislaus.
1370. Ladislaus.
1372. Uladislaus.
1383. Occiso Dan, Myrche seu Marcus Pater multorum Spuriorum.
1389. Mirche.
1390. Mirche.
1391. Mirche.
1392. Mirche.
1395. Mirche.

1396. Ulad.
1397. Mirche.
1405. Dan Mirchis filius.
1415. Dan Turcicarum, Mercha Hungaricarum partium.
1418. Joannes Michaël filius Mirchis.
1424. Ejecto Dano substituitur a Turcis Radúl, alias Praszaglava victus.
1425. Restituitur Dan ab Hungaris.
1420. Myrze Pangratii, olim Valachiae Vajvodae, filius, post mortem Danis. —
1432. Joannes Ulad.
1433. Myrze.
1438. Caeso Dano, Dracula.
1439. Dracula.
1441. Expulso Dracula, Dan.
1442. Dan.
1443. Dracula.
1444. Uladislav Dracula Myrchis filius.
1445. Occiso Uladislavo Dracula, Dan Masarempis v. Mazalempei filius.
1448. Dan.
1453. Ulad.
1454. Lajota Bessarabae. Bauer pag. 53. —
1460. Dracula.
1461. Uladus, Dracolae filius.
1462. Exauthorato, et capto Ulado, ejus filius.
1463. Radul Uladi Germanus.
1470. Radul.
1473. Radul.
1474. Radul.
1476. Raduloni Bozarad pulso sufficitur rursus Uladislav Dracula, qui fraude servus interit. —

1477. Radulomi filio Ulad. Draculæ, sufficitur Czi-  
pulissa aliis Szepelus.
1507. Radul.
1509. Mychne filius Draculæ.
1517. Theodorsis Bessaraba.
1519. Bazarab.
1526. Radul.
1528. Radul.
1529. Radul 4. Januar. decapitatur, substituitur  
Bozarabi filius.
1530. Moyses.
1534. Petrul et Radul.
1541. Alexander.
1544. Radul filius Radul magni Bazarab etc.
1549. post Uladum Myrche.
1552. Myrche. decrero Radul.
1553. Petrus Petrasko pulso Myrche.
1556. Petrus.
1557. Petrus moritur 24. Decemb.
1558. Zokol ac rursus Myrche.
1559. Myrche 25. Decembr. †
1560. Petrus Myrchis filius.
1564. Myrche.
1568. Petrus veneno interemtus. Alexander.
1576. Alexander.
1577. Alexander † in Julio, succedit filius My-  
chore.
1578. Mychne.
1582. Mychne.
1586. Petrus Radoliviz † Coronæ.
1592. Petrus Radolivitz Petri filius impalatur Ctpli.  
Stephanus.
1594. Michaël audax Petrasionis filius.
1595. Michaël.
1596. Michaël.

1597. Alexander suspenditur Constantinopoli. Michaël.
1598. Michaël.
1599. Michaël.
1600. Michaël.
1601. Michaël occiditur. Radul.
1602. Radul.
1603. Radul.
1604. Radul.
1607. Radul.
1610. Radul.
1611. Radul.
1620. Gabriel filius Simeonis Mogila.
1633. Mathaeus Bessaraba.
1640. Mathaeus.
1653. Matthaeus.
1654. Constantinus.
1655. Constantinus Cantacuzenus.
1659. Mychne.
1663. Georgius Gika.
1673. Demetrasko Cantacuzenus ejectus.
1679. Serbanus Cantacuzenas.
1683. Serbanus Cantacuzenus. —
1683. Joannes Serbanus Cantacuzenus.
1689. Constantinus Bazaraba Brankowan.
1703. Constantinus Brankowan.
1710. Constantinus Bassaraba Brankowan.
1711. Constantinus Brankowan.
1714. Constantinus Brankowan interficitur. Stephanus Cantacuzenus.
1715. Stephanus Cantacuzenus.
1716. Stephanus Cantacuzenus strangulatur. Nicolaus Maurocordato a nostris intercipitur. Joannes Maurocordato a Turcis substituitur.



1717. Joannes Maurocordato.
1720. Joannes Nicolaus Alexander Maurocordatus de Scarlati.
1727. Nicolaus Maurocordato.
1730. Nicolaus Maurocordato † 14. Septembr. sufficitur filius Constantinus Nicolaus.
1731. Constantinus Nicolaus.
1734. Constantinus Nicolaus Maurocordato deponitur post 15, dierum regimen.
1733. Gregorius Gika.
1735. Constantinus Maurocordatus, deinde Gregorius Gika —
1739. Constantinus Maurocordatus tertium.
1741. Constantinus Nicolaus Maurocordatus. Constantinus Michaël Rakovicza.
1744. Michaël Rakovicza Constantinus Maurocordatus quartum.
1745. Constantinus Maurocordatus.
1747. Constantinus Maurocordatus.
1752. Gregorio Gika alias Gligor Woda succedit filius Matthaëus.
1753. Matthaëus Gika deponitur, sufficitur Constantinus Rakovicza.
1755. Deposito Constantino Rakovicza succedit iterum Constantinus Maurocordatus. —
1757. Constantino Maurocordato succedit Skarlat filius Gregorii Gika.
1758. Skarlat Gika.
1759. Skarlat seu Carolus Gika. Constantinus Maurocordatus.
1761. Constantinus Maurocordatus. Constantinus Rakovicza.
1764. Stephanus Rakovicza filius Michaëlis, et frater Constantini.
1766. Stephanus Rakovicza. Constantinus Skarlat †

1767. Alexander filius Constantini Skarlati.  
 1769. Gregorius Gika.  
 1770. Monalachi fors Manuel.  
 1771. Manuel Turcarum, Gregorius Gika Russo-  
 rum.  
 1774. Alexander Ipsylandi Interpres Portae.  
 1777. Alexander Ipsylandi, filius prioris.  
 1783. Nicolaus Caraggia.  
 1786. Draco Suzo, cui sufficitur Nicolaus Mauro-  
 geni.

Series Vajvodarum Moldaviae ex Diplo-  
 matibus sive instrumentis coëvis, Manu-  
 scriptis Codicibus, atque editis operibus  
 per Nicolaum Jankovich de W. congesta,  
 et elaborata Anno 1816.

1370. **L**aczko.  
 1387. Petrus.  
 1389. Petrus.  
 1390. Petrus.  
 1391. Stephanus.  
 1393. Stephanus.  
 1395. Stephanus.  
 1398. Petrus, depulso Stephano fratre natu maiore.  
 1407. Alexander.  
 1415. Alexander.  
 1419. Alexander.

1421. Alexander.  
 1431. Alexander.  
 1433. Alexander †. Succedit Elias filius natu maior, sed hic a Stephano fratre exturbatur.  
 1436. Elias Socsaw, cum dimidio Moldaviae, Stephanus item in altero dimidio.  
 1445. Depulso Romano, Petrus.  
 1447. Petrus.  
 1448. Petrus.  
 1450. Bogdan, et Alexander contendunt.  
 1451. Bogdan occiditur. Alexander. Petrus.  
 1452. Alexander.  
 1455. Alexander filius Stephani †. Petrus.  
 1457. Depulsis Petro et Berenden, Stephanus.  
 1463. Stephanus.  
 1465. Stephanus.  
 1466. Stephanus.  
 1467. Stephanus.  
 1468. Stephanus.  
 1469. Stephanus.  
 1470. Stephanus.  
 1473. Stephanus.  
 1474. Stephanus.  
 1475. Stephanus.  
 1476. Stephanus.  
 1477. Stephanus.  
 1481. Stephanus.  
 1484. Stephanus.  
 1492. Stephanus.  
 1496. Stephanus.  
 1499. Stephanus.  
 1501. Stephanus.  
 1503. Stephanus.  
 1504. Stephanus † Julii 2. Succedit filius Bogdan.

1505. Bogdan.  
 1506. Bogdan.  
 1508. Bogdan.  
 1509. Bogdan.  
 1510. Bogdan.  
 1511. Bogdan.  
 1519. Stephanus.  
 1526. Stephanus.  
 1527. Petrus.  
 1529. Petrus.  
 1530. Petrus.  
 1531. Petrus.  
 1534. Petrus.  
 1535. Petrus.  
 1537. Petro a Solymano substituitur Stephanus.  
 1539. Stephanus, Alexius item interficitur, Petrus  
 reducitur. —  
 1541. Petrus.  
 1542. Petrus.  
 1543. Elias.  
 1546. Petrus interficitur.  
 1556. Elias.  
 1552. Stephanus occiditur, assumitur Petrus, et  
 acquirit nomen Alexandri.  
 1553. Alexander.  
 1556. Alexander.  
 1561. Ejecto Alexandro Jacobus Despota.  
 1562. Despota.  
 1563. Occiso Despotae succedit Stephanus Tomsa.  
 1564. Rursum Alexander.  
 1556. Post mortem Alexandri Bogdanus filius.  
 1570. Bogdanus.  
 1571. Bogdano substituitur Iwnia.  
 1573. Iwnia.  
 1574. Iwnia occiditur. Alexander Principis Va-  
 lachiae Frater.

1575. Petrus.  
 1577. Pulso Petro, Joannes, rursum Petrus.  
 1578. Petrus.  
 1581. Pulso Petro, Jankula.  
 1581. Jankula occiditur, succedit Alexander.  
 1592. Occiso Petro succedit Aaron.  
 1593. Aaron.  
 1505. Loco capti Aaronis Stephanus Revizar, tum  
     Jeremias Mogila.  
 1599. Jeremias Mogila.  
 1600. Jeremias.  
 1602. Jeremias, tum Simeon ejus frater, ac rur-  
     sum Jeremias.  
 1606. Jeremias †. succedit Simeon frater.  
 1607. Simeon † 30. Septembr. succedit filius Mi-  
     chaël.  
 1608. Constantinus filius Jeremiae Mogila.  
 1611. Petrasko.  
 1612. Constantinus Mogila. Stephanus Themsche-  
     vich. —  
 1614. Stephanus.  
 1617. Caspar Gratianus.  
 1619. Caspar.  
 1620. Caspar occiditur. Radul Rzepnitzkio Ale-  
     xander.  
 1621. Radul.  
 1623. Radul.  
 1626. Miron Barnowozky perimitur.  
 1630. Moyses filius Simeonis Mogilae.  
 1634. Basilius Lupulus.  
 1640. Basilius.  
 1645. Basilius.  
 1648. Basilius.  
 1653. Ejecto Basilio Stephanus Burduze seu ping-  
     vis.

1654. Stephanus.  
 1655. Stephanus.  
 1663. Georgius Gika.  
 1664. Georgius Gika.  
 1671. Georgius Gika iterum.  
 1672. Georgio Gika deposito Stephanus Petretseich.  
 1673. Ejecto Stephano Demetrius Cantacuzenus.  
 1676. Antonius Rosset.  
 1683. Georgius Gika a suis captus.  
 1684. Demetrius Cantacuzenus.  
 1685. Constantinus Cantemir.  
 1693. Constantinus Kantemir † 14. v. 23. Martii.  
     Demetrius filius Kantemiri a Turcis repudiatus, eique substitutus Constantinus Ducas, filius Gikae.  
 1696. Constantino Antiochus Kantemir.  
 1701. Rursum Constantinus Duca.  
 1703. Constantino Duca sufficitur Michaël Rakovitza.  
 1705. Antiochus Kardmir. Epistola Tökölyii ad eundem MS. fol. Tom. VIII.  
 1709. Michaeli Rakovicza substituitur Nicolaus Maurocordatus.  
 1710. Loco Nicolai Maurocordati Demetrius Kantemir.  
 1711. Loco Demetrii Kantemir rursum Nicolaus Maurocordatus.  
 1714. Nicolaus Maurocordatus.  
 1716. Loco Nicolai Maurocordati rursum Michaël Rakovicza.  
 1726. Michaël Rakovitza.  
 1727. Georgius Gika.  
 1733. Constantinus Nicolaus Maurocordatus. Georgius Gika. —  
 1735. Georgius Gika. Constantinus Maurocordatus.

1736. Skarlat Gika.  
 1741. Georgius Giku.  
 1743. Constantinus Maurocordato.  
 1750. Michaël Tsechan Rakovicz.  
 1756. Constantinus Tsechan Rakovicz.  
 1757. Skarlat filius Gregorii Gika.  
 1759. Joannes Theodorus Kallimach.  
 1762. Gregorius Joannes Kallimach.  
 1767. In locum Gregorii Alexandri Gika, rursus  
     Kallimach.  
 1769. Gregorius Kallimach capite minuitur. Con-  
     stantinus Maurocordatus capitur. —  
 1770. Constantinus Maurocordatus †.  
 1774. Georgius Gika.

## E m e n d a n d a .

Pag.	3 linea	17	lege	Stebernicum
—	14	—	4	l. sino al
—	24	—	3	l. in confesso
—	30	—	10	l. Andrea
—	37	—	24	l. hac
—	—	—	29	l. Trapezuntina
—	55	—	23	l. poterat
—	79	—	2	l. heredibus
—	124	—	4	l. Strigoniensis ,
—	177	—	16	l. vt sub —
—	178	—	28	l. tam ore
—	182	—	19	l. totusque
—	—	—	33	l. pristinae
—	184	—	29	l. impediti
—	189	—	19	l. et
—	—	—	27	l. Wladislaus
—	191	—	19	l. Boÿsaronibus
—	—	—	vltima	l. vestrae
—	192	—	13	l. voluntatem
—	—	—	27	l. debuisset



